

plura eius generis officia, de quibus in parte speciali agetur diligenter.

SCHOL. De singulorum in episcopatu graduum originibus varie viri etiam doctissimi sentiunt. Ego ita statuo: Etsi apostolica ecclesiarum quarundam institutio ad conciliandam his quamdam prae ceteris auctoritatem nonnulli contulerit, omnem tamen ex illa auctoritate reperi non posse. Et enim haec una si causa statuatur eminentioris dignitatis potestatisque, cur Hierosolymita in ecclesia prima omnium, et ab ipso Christo fundata (§. IV.) Caesareae subdita sit? cur Antiochenia ordine posterior est Alexandrina? cur Constantinopolitana patriarchalibus ecclesiis connumerata? His quidem explicandi vulgata de origine patriarchalium sedium doctrina non sufficit profecto. Ut de Metropolitis Exarchisque dioecesium nihil commorem, quorum in ecclesiasticis politia adeo congruit cum politia civili imperii Romani Constantino imperatore introducta, ut certum magis quam verisimile videatur, illam ad exemplum istius compositam fuisse. Quare superiori haec quoque adiungenda est ratio, etsi hanc deinde in novis Metropolibus Ecclesiae instituendis neglectam interdum, aut parum peni habitam fuisse non inficer. Ios. Bingham orig. eccles. lib. 9. cap. 1. vol. 3. pag. 371. seqq.

## §. XXXI.

## Conclusio capituli.

Hactenus de Ecclesia christiana generatim. Quant quidem ex iis, quae duobus his capitibus disputata sunt, facile intelligi potest, societatem esse a Iudeorum coetu a Christo ipso sciunciam (§. III. seqq.), vinculo non interiore solum, verum externo quoque fidei et charitatis colligatum (§. VII. seqq.), quae sub communione Episcoporum (§. X. et XI.), atque unius praecipue Chri-

*Christi* in terris vicarii regimine (§. XXII.) christianam religionem colit, ut salutem aeternam consequatur (§. VI.).

SCHOL. Vt appareat, nullam Launoio causam fuisse probabilem, cur lib. 8. epist. 13. Bellarmino insularem tantopere, corruptaque notionis a veteribus de Ecclesia tradita reum ageret. Sed ego hoc in Launoio non miror, qui in definienda Ecclesia etiam Cyprianum a vero aberrasse contendebat, naetus imitatorum Iust. Henn. Bohmerum, atque etiam laudatorem in diss. 8. ad Plin. §. 17. pag. m. 452.

## CAPVT III.

## DE POTESTATE ECCLESIASTICA

GENERATIM.

## §. XXXII.

*Quid sit potestas ecclesiastica.*

**O**mnis societas certum habet sibi propositum finem, in quo obtinendo commune illius bonum situm est (§. VI.). Finis autem sine mediis, aperte illis utique ac proportionatis, obtineri non potest: quae proinde, si per leges societatis fundamentales determinata non sint, a societate ipsa illo, qui iura societatis sibi tradita exercet, determinentur necesse est. Itaque nulla ne esse quidem societas potest, in qua non insit facultas, qua jure possit atque pro auctoritate omnia decernere, quae pro locorum, temporum, aliorumque adiunctorum variete aprissima ad finem efficacissimaque videbuntur. Haec ego ad societatem christianorum transferenda esse plane censeo. Non enim hic adduci me patiar, ut credam omnia a divino fundatore in ipsa eius institutione adeo

G

per-

perspicie' definita fuisse, ut nulli locū controversiae reliqua sit, simili huic, que vivis aīhuc Christi discipulis Antiochenam ecclesiam gravi dissidio vexabat. Habet igitur Ecclesia quoque ius determinandi media, quae ad finem suum obtainendum promovendumque sibi necessaria iudicat: hoc ius appello *potestatem ecclesiasticam*.

COR. Finis Ecclesiae in cultu Dei ex fide in Christum instituendo, et salute animarum situs est (§. VI.). Itaque Ecclesiae competit ius *ea omnia determinandi, quae ad veri Dei cultum ex religione christiana instituendum, promovendumque fidelium aeternam salutem pertinent.*

## §. XXXIII.

*Eius origo divina est.*

Potestas haec cum ipsa societate nata est (§. XXXII.), ut omnino necesse sit unam fuisse, atque eandem utriusque originem: scilicet idem, qui prima christiana civitatis fundamenta iaciebat (§. IV.) Christus, necessaria quoque potestate illam instruxerit oportet persequendi finis, cuius gratia eam condidit. Quid enim? an sapientiae illius? an bonitati putabimus consentaneum, insignem quamdam hominum multitudinem unum in coetum cogere, eidem scopum praefigere, ad quem coniunctis viribus contendat, destituere tamen medio, sine quo adipisci illum omnino non potest? Et vero satis constat divinis & litteris nihil praetermissum a divino fundatore, quod ad perficiendam illam ac fundandam pertinet. Quo in primis referenda est *potestas clavium Petri tradita*<sup>1</sup>, ac *potestas ligandi solvendique omnibus ex aequo Apostolis concessa*<sup>2</sup>, qua plenam disponendi regendique potestatem contineri non modo res ipsa do-

cer,

<sup>1</sup> Matth. XVI. 19.<sup>2</sup> Matth. XVIII. 18.

cet, ac perpetua *Patrum* et consentiens trāditio confirmat, verum ipse etiam sacrarum litterarum usus<sup>1</sup>. Non enim moror, que de clavium usu ex Hebreorum scriptis Seldenus monuit, eruditè ille quidem, sed ad rem ipsam parum apte ac verisimiliter, id quod iam pridem ab aliis obseruatū est (§. XXVII. Cor. IV.). Huic autem potestati quin parendi etiam necessitas adiuncta sit, ne suspicari quidem licet: quae ipsa non ex arbitria quadam fidelium confoederatio, sed ex ea venit *Dei lege*, qua hierarchicus Ecclesiae ordo (§. XXI. seqq.) et necessaria ad tuendam unitatem subordinatio nititur (§. X. seq.).

SCHOL. Ita Cyprianus in epistola ad Cornelium, quae est apud Baluzium 55. pag. 81. Quomodo possunt censuram Domini ultoris evadere, inquit, qui talia ingerunt non solum fratibus, sed et Sacerdotibus, quibus honor tantus de Dei dignatione conceditur :: Quum haec tanta ac talia, et multa alia exempla praecedant, quibus Sacerdotalis auctoritas et potestas de divina dignatione firmatur; quales putas esse eos, qui sacerdotum hostes, et contra Ecclesiam catholicam rebellēs nec praemonstris Domini comminatione, nec futuri iudicij ultiōne terrentur? Innumerā sunt Patrum loca, que hanc regendi parendique divinam legem apertissime confirmant, queas describere hoc loco et longum est nimis et non necessarium. Eam ipse Christus non obscure indicabat, quando omnia, quea ligata in his terris solitave legitime fuerint, rata in coelis futura promitebat, seque sperni contestabatur ab iis, qui spreverint illos, quos ipse populi sui gubernatores elegit.



## SECTIO I.

## §. XXXIV.

*Quod ipse usus satis probat.*

Et amabo , unde illa , nisi a Deo sit , in *Apostolos* profecta est potestas , quam post statim quam *Christus* sublimis in coelum abiit , et promissam ante *divini Spiritus* gratiam in eos effudit , exercuerunt palam ac saepe , non iuncti tantum , ut Hierosolymis , verum singulis etiam in ecclesiis ab sece collectis ? *Pauli* legit epistolas , et quam sint multa ab hoc uno viro pro data sibi potestate , ut ipse praedicabat , sancta fidelibus pracepta ipsi numerate . Maiorem vero quam ceteris *Apostolis* tributam fuisse potestatem *Paulo* , quis tam absurdum est ingenio , ut sibi a quoquaque sinat persuaderi ? Itaque alterum ex duobus fateamur necesse est : aut hanc , de qua disputamus , a *Christo* collatam in discipulos potestatem fuisse , atque ob id iure *Paulum* violatae ordinationis divinae reos egisse , qui Praepositis suis , quod debent , obsequium non praestant ; aut insignem fuisse sanctissimorum hominum temeritatem , qui praeter *Dei* ac *Magistrí sui* disertam voluntatem usurparint potestatem , qua redemptam nuper admodum tam grandi pretio populi christiani libertatem per summum nefas opprimerent . An haec autem suspicio magis locum habet in iis , qui proxime post *Apostolos* ecclesiis christianis regendis praefuerunt ? Viris , qui *Apostolos* ipsos audierunt , cum iis conversati sunt , tanta sanctitate morum , ut infessissimos etiam religionis hostes in admirationem conicerent ? Atqui hos pariter praecipua quadam inter suos auctoritate usos certissimum est : auctoritate nimis successionali lege per *Apostolos* ad se propagata . Nam et hos *Spiritus Sanctus* posuit Episcopos regere Ecclesiam *Dei* : quae regendi divinitus ordinata auctoritas , nisi adiunctionem habeat obsequii necessitatem ,

qua-

CAPVT III. 53  
qualis sit , et quam futura efficax , nihil est necesse ut ego moneam .

SCHOL. De Episcopis Apostolorum successoribus alibi exponetur . Nunc id moneo , successionem hanc ad auctoritatem pertinere , quae perpetuum Ecclesiae regimen specta ; non ad privilegia personalia Apostolis concessa , quae illorum obitro extincta sunt , quaeve in ea versabantur , sit de Marca de *discer. cler. et laic.* cap. 3. §. 5. Quod *Apostoli* a *Christo* ipso in collegium adlecti erant :: Quod testes fuerunt eorum , quae docuit , et mirabilium , quae patravit ; quod a *Spiritu Santo* in verae fidei professione eruditri nec fallere nec falli poterant in docendis populis tum verbo tum scripto . Plura numerant alii . Erudite totum hoc argumentum prosequuntur *Dodwellus* , *Spanhemius* , aliquique plures a *Fabrio* memorati in *bibliogr. antiqu.* cap. 13.

## §. XXXV.

*Originaria Ecclesiae potestas spiritualis est.*

Potestas vero ecclesiastica , quoniam omnis ad mentes hominum in hoc cursu vitae ad beatiores olim felicitatem adipiscendam dirigendas pertinet (§. XXXII.) , non tantum per doctrinae christianaæ praedicationem , verum etiam per sacras expiations et censuram divinam , quae contumacium animos fletteret ad obsequium *Christo* exhibendum , spiritualis esse debebat <sup>1</sup> . Et vero huius generis est potestas , quam *Christus* Apostolis suis tradidit , quae variis in locis Evangelii descripta , inde hauriri debet , ut vera eius cognitione imbuim possimus . Primus est ac praecipuus in hanc rem locus Evangelii apud *Matthaeum* <sup>2</sup> , ubi data est mihi omnis potestas in coelo et in terra : euntes ergo docete omnes gentes ,

<sup>1</sup> *De Marca loc. cit. §. 2.*

<sup>2</sup> *Cap. XXVIII. 18.*

*tos, baptizantes eos in nomine patris, et Filiit, et Spiritus Sancti: quo loco Evangelii praedicandi et conferendi baptismi plenissimam potestatem accipiunt, spiritualem utique, non profanam; cuiusmodi etiam est promissa primum Petro<sup>1</sup>, et in omnes deinde Apostolos collata ligandi et solvendi in his terris potestas. Repudianda enim est procul dubio sententia illorum, qui ligandi hanc solvendique potestatem ita laxe interpretati sunt, ut ad rerum etiam profanarum administrationem proferrent: quod sane factum est contra mentem Servatoris, quam explicate ipse aperuit apud Ioannem<sup>2</sup>, dum dicit: *Sicut misisti me vivens pater, et ego misso vos.* Hoc quum dixisset, insufflavit: et dixit eis: *Accipite Spiritum Sanctorum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.* Itaque ligandi solvendique potestas eadem est quaquam remittendi retinendique peccata, quod egregie e Patribus probatum dedit Natalis Alexander<sup>3</sup>. De Eucharistiae in memoriam eius celebrandae iure tertius locus est apud Lucam<sup>4</sup>: *Hoc facite in meam commemorationem:* quae quin tota spiritualiter sit, nemo est omnium qui dubitet. Neque alterius esse generis putanda est auctoritas coercendi temeritatem Ecclesiam Christi non audientem<sup>5</sup>, edendi leges, ministros instituendi, uno verbo, omnis regendi facultas, quae ad animas referuntur, non ad corpora, docente Apostolo: *Obedite Praepositi vestris, et subiacete eis. Ipsi enim peravigilant, quia si rationem pro animabus vestris reddituri*<sup>6</sup>. Cetera praetermitto Apostolorum iura ac dona propria, quippe quae ad successores in episcopatus nequaquam pertinuisse apud omnes in confessu est (§. XXXIV.).*

## §. XXXVI.

<sup>1</sup> Matr. XVI. 18.<sup>2</sup> Cap. XX. 21.<sup>3</sup> Hist. Ecclae. Sac. I. dissert. 4.<sup>4</sup> Cap. XXII. 19.<sup>5</sup> Matr. XVIII. 17.<sup>6</sup> Ad Hebr. XIII. 17.

## §. XXXVI.

*Quod probatur exemplo Christi.*

*Sicut misisti me vivens Pater, inquit Christus, et ego mitto vos* (§. XXXV.). Huius sententiae haec vis est, ut pro certissimo habendum sit, aliam Apostolis horumque successoribus potestatam traditam non fuisse, quam quae in Christo tamquam in Ecclesiae a se collectae capite ac supremo rectore fuit (§. IV.). Ea vero qualis fuerit, et quo pertinuerit, ex iis intelligitur, quae Pilato respondens Christus ait: *Regnum meum non est de hoc mundo: si ex hoc mundo esset Regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderet Iudeis: nunc autem Regnum meum non est hinc::: Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati: omnis qui est ex veritate, audit vocem meam*<sup>1</sup>. Quod et Apostolus monet in epistola ad Titum<sup>2</sup>, dum Christum scribi venisse, ut mundus per ipsum salvus fieret: ut saluum faceret, quod perierat: ut testimonium perhiberet veritati: ut mundaret sibi populum acceptabilem, settatorem bonorum operum. Quidquamne dici, ut scribi clarius potuit, ut cognosceretur, regnum Christi differe tuto genere ab eo, quod est regnum gentium ac populorum, potestatemque coelesti huic regno propriam nihil habere commune cum potestate, quae a Deo Principibus data est ad populorum suorum temporalem felicitatem promovendam? Quod autem docuit Servator, id etiam rebus ipsis ac factis probavit. Non enim fugantur elusis consilia Iudeorum Regem se creare volentium<sup>3</sup>, verum etiam rogatus a quadam de populo,

he-

<sup>1</sup> Ioann. XVIII. 36.<sup>2</sup> Cap. II. 14.<sup>3</sup> Ioann. VI. 15.

hereditatis inter se ac fratrem dividenda ut arbitrium reciperet, homo, inquit, quis me constituit iudicem aut divisorem super vos? <sup>1</sup> quo doceret hominem, non suam hanc sed aliorum esse potestatem, ut qui a Deo missus esset ad spiritualia communicanda, non ad dividenda temporalia. *Bene*, inquit in hunc locum S. Ambrosius, terrena declinat, qui propter divina descendat: nec index esse dignatur litium, et arbiter facultatum.

SCHOL. Non sum nescius, inquit Du-Pin, de antiquis Ecclesiae discipl. diss. 7. pag. 439. adversarii non nullis scripturarum et sanctorum Patrum testimoniis, quibus probant Christum regem fuisse, regnum ac regum terrenorum Dominum; verum illa nihil probant de quo inter omnes non constet. Extra omnem quippe controversiam est Christum Dominum, quatenus Deus est, Dominum esse regnum ac regum omnium: nec quisquam difficitur, quin ob ardentissimam uruisque in Christo naturae unionem potestas ista, quae divinitati convenit, possit non secus ac cetera attributa divina homini in Christo per communicationem, ut loquuntur, idiomatum adaptari, et homo Christus dici. Dominus regum omnium, quemadmodum dicitur et Creator, quamvis ratione divinae naturae tantum id ipsi competit. Quapropter adversarii frustra multis testimoniis probare moluntur id, de quo nullus dubitare potest, nisi Arianus, Photinianus, aut Nestorianus sit. Etenim in hostiis tantum haereticos Sandi Patres adducunt scripturarum testimonia, in quibus Christo dominum rerum terrenorum tribui videtur, ut scilicet inde inferant, Christum esse vere Deum, supponentes scilicet eum non habere istud dominium ratione naturae humanae. Nam si cum adversariis sentirent, Christum, ut homo est, habuisse istud dominium; perperam omnino ex his locis inferrent, in Christo praeter humanam naturam di-

vii

1. *Luc. XII. 14.*

vinam esse, ratione cuius rerum terrenarum sit dominus. Ergo ea ipsa testimonia, quae ab adversariis producuntur, ipsorum opinionem evertunt, ostenduntque dominum in temporalia Christo competitisse ratione divinae naturae tantum prout Creator est, non ratione humanae prout Redemptor est, et Ecclesiae caput: ac proinde quoniam certum sit Christum Ecclesiae communis causa tantum eam potestatem, quam habuit ut homo, ut Redemptor et Ecclesiae caput, non autem illam, quam habuit ut Deus et Creator, pro certo tenere debemus, nullam potestatem temporalem a Christo Ecclesiae collatam esse.

## §. XXXVII.

*Et claris divinarum litterarum testimoniois.*

Atque ita est profecto. Quid enim? si Christus, si Apostoli disertis sententiis omnem ab Ecclesia temporalis potestatem removerunt; anne tum etiam dubitamus, que illi reliqua est, eam non esse præterquam spiritualem potestatem? Illud autem mihi non obscure Petrus indicare visus est, quum de officio pastorum, quale esse debat, expositus: *Pascite*, inquit, *qui in nobis est*, gregem Dei, prouidentes non coacte, sed spontaneo secundum Deum, neque turpis luci gratia, sed voluntarie, neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo <sup>2</sup>. Qua in re Magistri sequutus est sententiam: *Scitis*, ait Apostolis suis, *quia hi*, qui videntur principari gentibus, dominantur eis: et principes eorum potestatem habent ipsorum: non ita est autem in vobis <sup>3</sup>. Et iterum apud Lucam: *Roges gentium dominantur eorum*, et qui potestatem habent super eos, be-

H

2. *I. Petr. cap. V. 2.*3. *Marc. X. 42.*

*nefici vocantur. Vos autem non sic<sup>1</sup>. E quibus quidem verbis non hoc modo apertum est, quae in rebus prophanis administrantis versatur, potestatum auctoritatemque ad Apostolos corumque successores nihil pertinere, verum illud etiam sacrum Ecclesiae regimen non dominacionis et severi imperii, sed mansuetudinis et charitatis esse regimen, quale scilicet esse decet, quod animorum emendationem ac salutem respicit. Apposite praecesteris Origenes: Sicut enim omnia carnalia in necessitate sunt posita, non in voluntate, spiritualia autem in voluntate, non in necessitate: sic et principium spiritualium principatus in dilectione subiectorum debet esse positus, non in timore corporali.*

SCHOL. Omittere non debui egregium prorsus D. Bernardi locum ex libro 2. de consid. ad Eugen. cap. 6. tametsi non nihil longiusculum. Ita autem habet: *Nec enim tibi ille Petrus dare, quod non habuit, potuit; quod habuit, hoc dedit, sollicitudinem, ut dixi, super ecclesias. Numquid dominationem? Audi ipsum: Non dominantes, ait, in clero, sed forma facti gregis. Et ne diutu sola humilitate putas, non etiam veritate, vox Domini est in Evangelio: Reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur; et infert: vos autem non sic. Planum est; Apostolis interdicitur dominatus. I ergo tu, et tibi usurpare aude aut dominans apostolatum, aut Apostolicus dominatum. Plane ab alterutro prohiberis. Si utrumque simul habere voles, perdes utrumque. Alioquin non te exceptum illorum numero putas, de quibus queritur Deus sic: Ipsi regnauerunt, et non ex me: Principes exsisterunt, et ego non cognovi. Iam si regnare sine Deo iuvat, habes gloriam, sed non apud Deum. At si interdictionem tenemus, audiamus editum: Qui maior est vestrum, fiat sicut iunior, et qui praecessor est, sicut qui ministrat. Forma apostolica haec est: dominatio*

in-

<sup>1</sup> Luc. XXII. 25.

interdicitur, indicitur ministratio, quae et commendatur ipsius exemplo legislatoris, qui sequutus adiungit: Ego autem in medio vestrum sum, tamquam qui ministrat. Quis se iam titulo hoc inglorium putet, quo se prior Dominus gloriae praesignivit? Fatetur quidem Bernardus nihil impudire, quo minus etiam temporalia possideant Romani Pontifices, at hacc usq[ue] D. Petri successoribus competere disertissime inficiatur: *Esto, ait, ut alia quamque ratione haec tibi vindices, sed non apostolico fure; nec enim ille tibi dare, quod non habuit, potuit.*

## §. XXXVIII.

*Obiecta ecclesiasticae potestatis quae sint?*

Teneamus igitur pro certo id quod positum est in principio huius disputationis, originariam Ecclesiae christiana potestatem spiritualem esse, et a potestate temporali penitus seicutam. Quibus autem in rebus determinandis sacra haec christiane societas potestas versatur, haud difficile intellectu est. Nam quum huc tota referenda sit, ut salus fidelium per fidem in Christum humani generis liberatorem obtinenda promoveatur (§. XXXII.), quod quidem efficiunt potissimum observandis credendisque a Deo revelatis tam veritatis quam praecepti: planum est, ad Ecclesiae ius pertinere determinationem verbi divini seu scripti seu traditi, quoties illud aut revocatur in dubium, ant nimia disputandi interpretandique intemperantia vera fides humanis pernitiosae commentis obscuratur. Neque ego, quod faciunt quidam, Ecclesiae potestati morum praecepta audiadim subducere. Etsi enim talia quae sunt, humanae vim rationis prorsus respuant, ac pleraque sint eiusmodi, ut mens rite exulta et praedicantis opinioribus vacua perspicere illa atque etiam intelligere valeat; insirmus tamen et instabilius humanae mentis iudicium est,

H 2

quam

quam ut in re tam ad veram beatitudinem necessaria adquiescere illi secure licet.

SCHOL. Ad haec firmita permultum conferre possunt, que disputari solent a Theologis, dum id agunt, ut Ecclesiam ostendant, controversiarum, quae de fide ac moribus nascuntur, divinitus nobis datum esse iudicem. Melch. Canus de loc. theologic. lib. 4. 5. Conf. vii clar. Placid. Fixmillner de reip. sacr. orig. div. Exerc. 2. sect. 1. §. 6. pag. 39. seq. Et necessitatem quidem auctoritatis istius non modo multi ex ipsa protestantium communione eruditissimi acutissimique viri palam sunt, aperteque professi, (vid. Febronium tom. I. cap. I. §. 9.) sed rebus etiam ipsis ac factis confirmare coacti sunt ut historia Dordrechtae atque Charentonae synodorum luculentissime docuit, Conf. Bossuet de variis ecclesiis protestantibus lib. 14. §. 67.

### §. XXXIX.

*Ecclesia in rebus fidei ac morum falli non potest.*

At his Ecclesiae de fide decretis licebitne, inquires, into ac sine erroris suspicione fidem adiungere? Imo vero non licet tantum, verum etiam necesse est prorsus Christi enim ipsius praeceptum est, quo hominem iubemur Ecclesiam, quae *columna est et firmamentum veritatis*<sup>1</sup>, non audiensem tamquam ethnicum ac publicanum devitare<sup>2</sup>. Quod vero citra omnem errandi suspicionem liceat etiam, promissio facit luculentia *Servatoris*, qua sese cum Ecclesia sua futurum usque ad consummationem saeculorum pollicitus est<sup>3</sup>, missumque iri divinum Spiritum, a quo omnem edocenda veritatem es-

set<sup>4</sup>

<sup>1</sup> I. Tim. III. 15.

<sup>2</sup> Matib. XVIII. 17.

<sup>3</sup> Matth. ult. 20.

set<sup>1</sup>, quod ipsum dudum ante Isaiae vaticinio praenuntiatum est<sup>2</sup>. Ecclesiam porro falli nesciam necesse est existimasse S. Irenaeum, ut qui non aliunde, quam ab illa petendam esse veritatem adseveraret contendebat: *Non oportet, ait, apud alios querere veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere: quum Apostoli quasi in depositorium dives plenissime in eam contulerint omnia, quae sint veritatis*<sup>3</sup>. In eam sententiam disputabat Tertullianus libro de praescriptionibus<sup>4</sup>: *Hinc igitur dirigimus praecriptionem: si Dominus Iesus Christus Apostolos misit ad praedicandum, alios non esse recipiendos praedicatores, quam Christus instituit: Quid autem praedicaverint, id est, quid illis Christus revelaverit, et hic praetulam, non aliter probari debet, nisi per easdem ecclesias, quas ipsi Apostoli considerunt, ipsis eis praedicando tam viva, quod aiunt, voce, quam per epistolas postea. Si haec ita sunt, constat proinde omnem doctrinam, quae cum illis ecclesias apostolicis matribus et originalibus fidei conspiciat, veritati deputandam, sine dubio tenetem quod ecclesiae ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit. Consentient his Patres certi omnes, Cyprianus, Augustinus, Chrysostomus, alii, quorum sunt testimonia prope innumera, quae nulli obnoxiam errori auctoritatem Ecclesiae in his, quae ad fidem et mores pertinent, non tam probent, quam certissime demonstrant.*

SCHOL. Consulendi sunt Theologi, quorum est hanc de visibili Ecclesiae infallibilitate controversiam dirimere. Nitide, ut solet, ac doceat eam persequuntur est eruditissimus vir Petri Maria Gazzaniga in *praelect. theolog.* tom. 4. cap. 5. seqq.

### §. XL.

<sup>1</sup> Ioann. XIV. 16.

<sup>2</sup> Cap. LIX. 19.

<sup>3</sup> Lib. 3. cap. 4.

<sup>4</sup> Cap. xi.

## §. XL.

## Potestas Ecclesiae circa disciplinam.

Praeter hanc de fide et moribus decernendi potestatem Paulus Ecclesiae ius tribuit, curandi atque efficiendi, ut omnia honeste et secundum ordinem siant<sup>1</sup>. Quod quidem ius latissime patet, continetque potestatem non modo certis circumscribendi regulis exteriorem Dei cultum, divina lege handeterminatum, cuiusmodi sunt ritus ac ceremoniae, locus, tempus, atque alia his similia, praecipiendique illa, quae sunt instar mediū ad eum promovendum; verum removendi quoque omnia, quae turbare ordinem atque impedit communem finem iudicabantur. His autem capitibus universa Ecclesiae discipline concluditur. Vnde colligas, hanc haud minus quam illa superiora potestati ecclesiasticae subiectam esse, quod ipsum perpetua christianorum et antiquissima observantia luclellissime confirmat.

SCHOL. Vsus hic Ecclesiae christianaem certus est, ut diligentiae fuerit minime necessaria eum petitis ex historiis documentis illustrare. Id addo, Bohmerum ipsum, tametsi in removenda omni ab Ecclesia potestate pertinacissimum, non negare prorsus, disciplinae ordinandae facultatem Apostolis a Christo tributam fuisse. Vitringae enim laudat interpretationem (*in diss. 3. ad Plin. §. 7.*) quam is dedit (*lib. 3. de Synag. vet. part. 1. cap. 10.*) verborum, quibus Christus ligandi et solvendi potestatem discipulis suis impertitus est. Vitringae autem haec sunt: *Concedit Christus Apostolis suis his verbis potestatem varias leges de licito et vetito, cutuscumque tandem indolis, condendi in usum et commodum Ecclesiae, ac si dixisset: Quaecumque vos licita aut illicita pronuntiaveritis, quae vos praecepitis, vel prohibueritis, ea-*

<sup>1</sup> I. Corinth. XIV. ult.

ratihabenda sunt in curia coelesti :: Concedo enim vobis potestatem, quam ei Petro iam ante concessi, post meum a vobis discessum talem constituendi disciplinam, quam rerum temporumque conditionem efflagitare censemitis. Quae laudata Bohmero, ac probata vehementer, nonne cogunt fateri virum doctissimum potestatem hanc in usum Ecclesiae concessam Apostolis ad posteros dimanasse, eamque proinde non populi eius totius, sed corum, qui in Ecclesia apostolici muneri heredes exstiterunt? Quid? an Titus eam non habui a Paulo sibi traditam potestatem? Aut quid sibi voluit Apostolus, dum *ideo*, ait, *reliquæ Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas?*

## §. XLII.

## Quid in eius usu cavendum?

Quia in re cavendum est primum quidem, ne quid fiat, quod revelatis a Deo veritatibus latisque ab eo legibus aduersetur: deinde ne qua in re publicarum rerum felicitati vis ultra inferatur. Nihil enim religio Christi, nihil salus interna a nobis officiorum exigit, que cum temporali vitae huius felicitate non amicissime conspirent (*§. VI.*), quod innuere procul dubio Christus videtur, quando dare nos *Cæsari* iubet, *quæ sunt Cæsaris, et quæ sunt Dei, Deo*. Quapropter ita in constituenda disciplina versari decet, ad quos ea res pertinet, ut ne quid exinde respublica detimenti capiat. Cuius rei, quoniam non Ecclesiae iudicium est, sed eorum, qui supremam in regnis potestatem obtinent, discipient quam sapienter disputerent, qui in definienda ecclesiistarum exteriore disciplina nullas summorum Principum partes esse volunt.

SCHOL. Hae autem summorum Principum partes, quae sint, et quo usque iura eorumdem circa sacra pertineant, exponemus sectione altera.

## CAPVT IV.

DE POTESTATE ECCLESIAE  
LEGISLATIVA.

## §. XLII.

*Habet Ecclesia potestatem ferendi leges.*

**E**cclesiā suā Christus ita constituit, ut potestatē illi non negaverit cunctā determinandi, quae ad propōsitū sibi finem securis facilius adipiscendum utilia vel necessaria iudicaverit (§. XXXII.). Harum vero Ecclesiae praeceptionum ea vis est, ut simul obsequiū necessitatē inferant (§. XXXIV.). Vnde liquet, eas pro regulis habendas esse, ad quarum prescriptam normam omnem vivendi nos agendique rationem attemperare convenit; cuiusmodi regulae, quoniam legum trito nomine venire solem, plenum est, in potestate ecclesiastica inesse etiam *ius ferendarum legum*, quod *ius potestatem Ecclesie legislativam appello.*

**SCHOL.** Necessitatē legum etiam positivarum in Ecclesia christiana qui neget, nemo est, opinor. Nam quod Cicero sapienter monebat, *sine legum imperio nec dominum ullam, nec civitatem, nec gentem, nec hominum universum genus stare, nec rerum naturam omnem, nec ipsum mundum posse* (lib. 3. de legib.); quippe quod istud est vinculum, per quod respublica coheraret, ille spiritus vitalis, quem haec tot millia trahunt, nihil ipsa per se futura, nisi onus et praeda, si mens illa imperii subirahatur (Senec. lib. 1. de Clem.): id ad Ecclesiā transferre nihil vetat. Etenim societatem christianorum, quae orbem terrarum prope universum complexa, tot sinu suo continet, et tam non lingua magis et

## CAPVT IV.

65

locis quam moribus atque institutis disiunctas nationes, quisquam est, qui putet ordine magis carere atque externa per leges directione posse, quam alium hominum quantumvis proborum, quantumvis coetum infrequentem? Quis hoc tam numerosum tamque late patens fidelium corpus apte credat atque debite contineri posse sine quadam veluti compage legum, quae sua cuīque membro officia, suas functiones describant? Conf. Kahkel. in *tur. publ. univers. sett. 2. tit. 2.*

## §. XLIII.

*Huius iuris origo divina est.*

Hinc autem porro etiam de origine huius iuris liquet; pars enim est (§. XLII.) potestatis illius, quam Ecclesiae a Christo traditam nuper probavimus (§. XXXIX.): quod ipsum aliis etiam certissimique argumentis confirmare possumus. Scilicet nova *Christum* mandata dedisse <sup>1</sup>, caque non rationem consiliorum, sed legum vim <sup>2</sup> apud omnes gentes habitura <sup>3</sup>, divinarum litterarum nobis auctoritate exploratum est. Eam vero potestatem in *Apostolos* subinde collatam <sup>4</sup> vicario iure exercendam <sup>5</sup> usus ipse certissime evincit. Quid enim? An leges *Apostoli* nullas tulerunt? an nullas *Paulus*? (§. XXXIX.) Id ego fatebor quidem non illibenter, ut erant primae huius aetatis homines promissima ad obedientiam voluntate, consilii similiora quam legibus instituta videri apostolica; non consentiam tamen, si quis illa e numero legum eximenda contendat. Nimirum consilii ea natura est, ut optionem, ve-

<sup>1</sup> *Ioann. XIII.* 34.

<sup>2</sup> *Ioann. XIV.* 21.

<sup>3</sup> *Matth. XXVIII.* 19. et 20.

<sup>4</sup> *Ioann. XX.* 21.

<sup>5</sup> *Luc. X.* 16.

lis an nolis adquiescere , non auferat : *Apostoli obsequium exigunt*<sup>1</sup> , quod praecipientis autoritatem indicat , non lenitatem consulentes . Nec magis possum iis adsentiri , qui pacti nescio cuius , liberaeque potius conventionis , quam legis efficaciam in his sibi praeceptionibus deprehendisse visi sunt , ea praecipue moti ratione , quod nihil fere rerum illarum , quae ad salutem totius christiani coetus communem pertinebant , sine communi plebis etiam , suffragatione egisse unquam legantur *Apostoli* . Primo enim hoc perpetuum non fuit : edita quippe ab iis interdum praecepta nulla communis deliberationis facta mentione certum est . Deinde , quae ex patet nascitur obligatio , ea quidem non extenditur , nisi in hos , qui sua se ipsi consensione eidem subiiciunt . Cur igitur stringunt apostolica mandata illos etiam , qui numquam consenserunt ? *Corinth. XIV.* Cur , qui alia omnia agunt ? *I. Corinth. V.* 6.

SCHOL. Quod acute observavit vir clar . Plac . Fixlmiller *de reipubl. sacr. orig. divin. Exercit. 2. scil. 2. §. 28.* Totus in eo est Iust . Henn . Bohmerus , ut Apostolorum statuendi autoritatem nullam fuisse praecipuam persuadeat . Agit hoc in primis in *diss. de confederata christianorum disciplina cap. 3. §. 12. seqq.* quae est tertia inter dissertationes ad Pliniūm . At enim , quae adserit , pleraque sunt eiusmodi , ut haud aegre lagiri ea catholicō possimus . Alia sunt valde levia atque incerta , ut mirum non sit doctissimum virum ab omnibus , etiam Protestantibus descri . Mosheimius certe ius ferendarum legum *Apostolis aperte adscribit in Instit. Hist. Eccles. scil. 1. part. 2. cap. 2. §. 3.* Hoc idem faciunt Spanheim , Vitringa , Hartmannus , Semlerus , quibus ipse Bohmerus alibi , etsi praeter suam opinionem , adsensus est ( §. XL. ).

## §. XLIV.

## §. XLIV.

Eademque auctoritate Ecclesiae competit .

Haec sane ita comparata sunt , ut *Mosheimius* , scriptor gravis minimeque praecepitis iudicij , *Apostolis* eam potestatem non adscriperit tantum , verum considerate quoque iustique de causis adscriperit . Miror autem , lectissimum virum illam *Apostolis* ita vindicasse , ut negaret successoribus . Nam quae instituenda primum ( §. XLII. ) , ac conferenda potestatis causa fuit ( §. XLIII. ) eadem , ut ad successores in regimine Episcopos nihil diminuta transiret , nonne proorsus exigebat ? Distinguunt ille , scio , duplex in *Apostolis* munus , *Dilectoris* et *Legati extraordinarii* summa cum potestate divinitus missi , quorum illud quidem ad successores derivatum fatetur , non vero isthuc etiam <sup>2</sup> . Sed qui ita sentiunt , qua ratione conficiant , docendi quidem munus , non etiam statuendi ius perpetuum esse in Ecclesia oportere , ego non intelligo profecto . Nam si , quod necessaria doctrina sit , inde colligunt doctrinam necessitatem , cur non aequo nobis iure adfirmare licet , necessarios esse in Ecclesia latores legum , quippe quae sine his non magis diu esse felix potest ? ( §. XLII. ) Video enim hoc ne ipsos quidem adversarios revocare in dubium . Qui , etsi ius hoc alius quidem summis Principibus , alius coetui ipsi christianorum , alius demum syndicis tribuant : in hoc tamen mirifice consentiunt omnes , carere legibus christianorum civitatem non posse ; ac proinde oportere esse aliquem , qui rogandis etiam legibus providere possit , ne quid res christiana publica detrimenti patiatur <sup>3</sup> . Hunc autem quem esse regibus statuimus , quam Episcopos , quibus *Christus ipse* regendae

<sup>1</sup> *Instit. hist. christ. scil. 1. part. 2. §. 3.*

<sup>2</sup> *Floersch praeponit. iur. eccles. §. 1.*

Ecclesie curam per Apostolos commendavit? (§. XXII.)  
 Nam quae ex donis Apostolorum extraordinariis ratio peti solet , eam , nisi liquido demonstretur , dona haec ad confirmandam statuendi potestatem , nihil vero ad doctrinam Evangelii animis fidelium suavius insinuandam pertinuisse (quod quidem ut demonstrare quisquam possit , vehementer ambigo) evidens est , ad hanc roborandam opinionem nihil habere momenti , praeceps quum illi aduersetur omnium retro saeculorum usus : quem nihil suisse aliud quam iniquum usurpationem Episcoporum priscae aetatis , aut seditionem omnium conspirationem , qui potest , credit ; ego a me non impeto (§. XXXIV.). Conf. Greg. Zallwein. tom. 2. pag. 13. 22.

SCHOL. I. Hoc ius Imperatores ipsi tantum abest ut Ecclesiae christiana abjudicarent , ut profiterentur illud etiam palam , legibus suis munirent , coercendosque sciscerent , qui sacris Patrum institutis malitiae adver- sarentur. Vnum audire inverit Iustinianum maiestatis suae minime prodigum Imperatorem. Si civiles leges , inquit ille in praef. Nov. 137. quarum potestatem nobis Deus credit , firmas ab omnibus custodiri ad obedientium securitatem studemus , quanto plus studii adhibere debemus circa sacrorum canonum et divinarum legum custodi- am , quae super salute nostrarum animarum desin- nitiae sunt? Et cap. 1. Si enim illa , quae a laicis pec- cantur , generales leges non concedant extra inquisitio- nem et vindictam manere ; quomodo a sanctis Aposto- lis et Patribus super omnium hominum salute canoni- ce statuta despici patiemur?

SCHOL. II. Bohmerus cit. dissert. cap. 4. § 17. ut christianae societatis leges conventionales esse ostenderet , validum sibi praesidium reperisse visus est in epistola Plini ad Traianum Imp. in qua de christianis præter alia refert , hanc in iis fuisse summam vel culpæ suas vel erroris , quod essent soliti stato die ante lucem con- venire , carmenque Christo quasi Deo dicere secum in-

vicem , seque sacramento non in scelus aliquod obstrin- gere , sed ne furtu , ne latrocinia , ne adulteria com- mitterent , ne fidem fallerent , ne depositum appellati de- negarent , cet. At infirmum hoc praesidium est ad id , quod Bohmerus intendit , proprobandum , nisi quis furta etiam , latrocinia , adulteria licita fuisse , aut impunia christianis ante credat , quam sacramento se ad ea vitanda obstringerent , quod absurdum est. Non magis huic opinioni testimonia faverit Patrum , qui neminem , nisi prævia spōsione ad sacram baptismā admissum per- hibent. Nam hoc quidem verum est. Nemo ad societatem christianorum recipiebat , nisi qui dogmata se Christi ac præcepta omnia servaturum spondisset. Bing- ham. orig. eccles. vol. 4. pag. 270. seqq. Sed quid hoc ad causam Bohmeri? Qui civiles societas primi condi- derunt , mutua se consensione , viresque suas unierunt ad communem securitatem procurandam , neque cīquād ad eam societatem viam patere voluerunt , nisi qui in eamdem unionis subiecctionisque legem consensum suum accommodasset. Num ob id omnes civiles leges conventionales esse putabim⁹? Eadem in Ecclesia ratio est. Omnis- bus enim Christi præceptis qui obedientiam spondet in baptismo , is ea præcepta easque leges non excludit , qui- bus instituta a Christo hierarchia , et necessaria ad unitatem conservandam membrorum subordinatio nititur , quæ regendi parendique partes ita sapienter distribuit , ut alii præsint , alii vero subsint (§. XIII.). Quae igitur causa esse potest , quae nos Ecclesiæ instituta infra le- gum dignitatem cogat detrudere ? Conf. Ans. Molitor in diss. de potest. eccles. legislat. §. 2. n. 8. seqq.

Obiectum huius potestatis.

Itaque ius Ecclesiae , quod in rogandis legibus san-

ciendisque versatur, firmore nittitur ratione, quam ut eripi eidem, et in aliud transferri temere possit; compitique illud non omnibus etiam de plebe christianis, verum Praepositis ecclesiarum libera quidem arque independente auctoritate; ad aedificationem tamen corporis Christi, non ad eius destructionem exercendum. Neque enim canonum ecclesiasticorum vel alias est, quam qui Ecclesiae finis, id est, fidelium interna salus (§. VI.) vel obiectum aliud, quam negotia fidei ac morum (§. XXXIX.) et disciplinae ecclesiasticae (§. XL.) ad eum scilicet modum constituendae, ut rerum publicarum felicitatem promoveat, non destruat (§. XLI.). Nullane igitur Ecclesiae in rebus ac negotiis profanis potestas est, inquit; sed in iis ad aeternam salutem dirigendis, non etiam pro arbitrio disponendis. Spiritualis Ecclesiae potestas est (§. XXXV.) cui regendas animas commisit Deus, regna gubernabam non commisit. Apposite Osiris ad Constant. Imp. Tibi Deus imperium commisit, aiebat, nobis, quae sunt Ecclesiae, concedidit. Et quemadmodum, qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinæ: ita et tu cave, ne, quae sunt Ecclesiae, ad te trahens magno criminis obnoxius fias. Date, scriptum est, quae sunt Caesaris, Caesari, et quae sunt Dei, Deo. Neque enim fias est nobis in terris imperium tenere, neque tu thymianatum et sacramentum potestatem habes Imperator. Apud S. Athanasium.

SCHOL. Haec ita quum sint, quid iis faciemus canonicibus, decretis, constitutionibus, quae sunt frequenter de rebus mere profanis editæ? dicam quod sentio pro ingenio meo aperte ac candide: constitutiones, quae iuribus Regum ac Principum maiestati propriis derogant, nullius esse roboris contendō. Opinio enim illa, inquit Natalis Alexander, quae Ecclesiae, vel Romano Pontifici potestatem tribuit, etiam indirectam, in tempora-

lia

<sup>1</sup> II. Corintb. cap. XIII. 10.

Iia Regum ac Principum supremorum, falsa est, erronea, verbo Dei et doctrinae Patrum adversa. In Hist. Eccles. Sac. XIII. diss. 3. art. 3. cui igitur diss. 2. ad Sac. XII. art. 9. In ceteris autem interpretandis et ad mentem Ecclesiae explicandis placent vetermenter que obseruavit. doctissimus Gibertus prolegom. part. prior. tit. 8. secl. 1. qui omnino videndus est.

### §. XLVI.

Eiusque efficacia.

Vis legum ecclesiasticarum ad omnes christianos pertinet. Ac de fide quidem ac morum decretis expedita res est (§. VIII. et XXXIX.); canones vero, qui de rebus naturali iure ac positivo divino non vertitis ad ordinem exteriorem componendum feruntur, plerunque non hoc solet consilio edere Ecclesia, ut ubique locorum necessario admittendi sint. Novit enim nec omnium temporum, nec locorum omnium eamdem esse utilitatem. Novit saepe ipsam consuetudini mutationem, et si adiuvet, novitate perturbare. Novit denique, quum potestatem sibi conceptis verbis datam non ignoret in aedificationem, non in destructionem (§. XLV.), hac eam utique moderatione exerceri oportere, ut ne quid præter necessitatem obtrudatur fidelibus, quod aliquo pacto offendere illos possit. *Haec* quippe christianismi est regula, inquit Chrysostomus <sup>2</sup>, *haec illius exacta definitio, hic est vertex supra omnia eminens: publicae utilitati consulere.* Quae quidem in Ecclesia utilitas disiuncta non est ab utilitate singulorum fidelium (§. VI. Cor. ult.). Neque huic conditioni si civiles leges obnoxiae non sint, camdem nobis licebit ab ecclesiasticis removere: amplum enim inter utramque legem di-

<sup>1</sup> August. epist. 54. alias 115.

<sup>2</sup> Hom. 25. in prior. ad Corintb.

## SECTIO I.

discrimen intercedit , ut imperium differat a principatu sacro , qui in dilectione debet esse positus , non in tunc more corporali ( § . XXXVII . ) . Quo fit , ut leges , quae ab hoc principatu profiscuntur , non necessitate , sed voluntate , non timore , sed dilectione subditorum niti debeat . *Vel maxime id lex nostra et legislator nosster sanxit* , ait *Gregorius Nazianzenus* <sup>1</sup> , ut greci non coacti , sed sponte ac libenti animo pascatur . Quo etiam refero illud *Chrysostomi* utramque potestatem comparantis : *Legibus ac mandatis omnia peraguntur* ( scilice in republica ) , hic vero ( in Ecclesia ) nihil tale . Neque enim licet ex autoritate praecipere : non quod omnem praeципiendi autoritatem a societate christianorum alienam existimet , sed quod ea semper Ecclesiae catholicae mens sit , ut novis disciplinae decretis obligari non sit ecclesias non sine ratione ab iis recipiendis alienas , aliquis legibus ac consuetudinibus iam pridem addictas ; et novarum impatentes . Verissima est *Leonis P. IX.* sententia : *nihil obsunt saluti credentium diversae pro loco et tempore consuetudines , quando una fides per dilectionem operans bona quae potest , uni Deo commendat omnes* <sup>2</sup> . Et *Gratiani* altera : *Privaatis constitutio- nibus et propriis informationibus unaquaque ecclesia pro locorum varietate , prout enique visum est , subsistit et regitur* : dist . 11 . can . 8 .

SCHOL . Conf . de Marca lib . 2 . cap . 16 . Dum vero res disciplinam ecclesiasticam spectantes potestati Ecclesiae penitus subducit *Lochsteinus* part . 2 . cap . 9 . § . 11 . ( si modo doctissimi viri mentem assequor ego ) id facteur , probare non possum . Quid enim tot vetustissimum conciliorum canonibus faciemus , quorum , quando ad pacem Ecclesias conservandam restituendam opus videbatur , executionem etiam censuris propositis urgabant prudentissimi iuxta ac mitissimi Patres ? quod pro-  
ba-

<sup>1</sup> An Apolog.

<sup>2</sup> Epist . ad Mich . § . 29 . tom . 6 . Conc . Hard . pag . 927 .

## CAPVT IV.

barem , nisi constaret omnibus . Reclius proctudibuo de Marca loc . cit . § . 16 . *Vis ergo et imperium legis a sola Ecclesia pendet , sed executio vim sortitur a consensu eorum , quorum maxime interest .* Quapropter cum temperamento quodam recipienda sunt , quac Auctor principi . iur . publ . eccl . cathol . cap . 6 . § . 1 . et 2 . in hunc modum scribit : *Quae Patribus conciliatis placuerunt , vocabantur canones , id est , regulas , modesta appellatione provide electa , ne , si leges dicerentur , invidiae dedissent fomentum imperantibus .* Haec regulas ubi primum a sacerdotibus fuerunt conditae , exhibebantur Principi , ut eius autoritate transiret in leges et sanctio- nes . De quo vid . de Marca lib . 2 . cap . 10 . § . 9 . et 14 .

## § . XLVII.

Posteaquam leges publicatas sunt .

Praeter hoc autem , ut effectum sortiantur leges , necessaria promulgatio est : nulla enim religione ad observantiam carum teneri potest , qui sententiam iuste ignorat . Modum vero ac rationem promulgandi docere nos veteris Ecclesiae consuetudo potest : quam quum intueor , eam video *Patrum* certam fuisse sententiam , ut canorum in concilii conditorum necessariam per singulas provincias publicationem crederent . Non est dubium hanc consuetudinem ab exemplo *Apostolorum* sumisse originem , quos constat ex actis eorum a *Luce* consignatis legem in causa Antiochenas ecclesiae rogatam , non Hierosolymis dumtaxat solemni formula , verum omnibus etiam ceteris , ad quos ea controversia pertinere poterat , promulgasse . *Ad . XV . 22 . seqq.*

SCHOL . Adscribo locum pluribus de causis memorabilem . Tunc placuit *Apostolis* et senioribus cum omnibus ecclesia , eligere viros ex eis , et mittere *Antiochiam cum Paulo et Barnaba Iudam* , qui cognominabatur Bar-

sabas, et Silam viros primos in fratribus, sorientes per manus eorum. Apostoli et senioris fratres, his, qui sunt Antiochiae, et Syriae, et Ciliciae fratribus ex gentibus salutem. Quoniam audivimus, quia quidam ex nobis exeuntes turbaverunt vos verbis, evertentes animas vestras, quibus non mandavimus: placuit nobis collectis in unum eligere viros, et mittere ad vos cum charissimis nostris Barnaba et Paulo, hominibus, qui tradiderunt animas suas pro nomine Domini nostri Iesu Christi. Misimus ergo Iudam et Silanum, qui et ipsi vobis verbis referent eadem. Visum est enim Spiritui Sando et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris quam haec necessaria: ut abstineatis vos ab immortali simulacrum, et sanguine, et suffocato, et fornicatione, a quibus custodientes vos, bene agetis. V alete. Illi ergo dimissi desenderunt Antiochiam, et congregata multitudine tradiderunt epistolam. Quam quum legissent, gavisi sunt super consolatione :: Paulus vero electo Sila profectus est, traditus gratiae Dei a fratribus. Perambulabat autem Syriam et Ciliciam confirmans Ecclesias, praecepis cussodire praecepta Apostolorum et seniorum.

## §. XLVIII.

*Per singulas provincias.*

Hinc tractus est mos, quem post deinde a conciliis generalibus conservatum religiose indubitate pristini aevi monumenta probant. Concilium Arelatense I. quod ex omnibus pene occidentis provinciis Constantini imperio coactum est, post damnatam haeresim Donatistarum, viginti et duobus canonibus disciplinam ecclesiasticam constituit. At quum non censeret aequum iis populum christianum teneri prius quam per provincias publicati fuissent; eam curam Sylvestro Pontifici commendabat, ut, qui maiores dioeceses teneret, per eum pot-

## CAPVT IV.

potissimum omnibus insinuarentur <sup>1</sup>. Idem faciebat Ni saena Synodus eodem Imperatore celebrata, scriptisque ad omnes, qui Concilio non interfuerunt, Episcopos litteris, quea de creta essent, significabat: Eaque litteris ad vos perscribere necessarium visum est, ait, ut intelligere possitis, cum quae ibi in quæstionem et disquisitionem vocata, tum quae de creta sanctaque sint <sup>2</sup>. Sardicenses vero Patres, quea sibi causa extiterit, ut definitiones suas ad Iulium P. mitterent, his verbis explicant: Tua autem excellens prudencia dis ponere debet, ut per tua scripta, qui in Sicilia, in Sardinia, et in Italia sunt, fratres nostri quae alta sunt et quae definita cognoscant, et ne ignorantes eorum accipiant litteras communicatoria, quos extra Episcopatum iusta sententia declaravit <sup>3</sup>. Vnam his addo Ephesini Concilii epistolam, qua certiores reddit Episcopos, Presbyteros, Diaconos atque plebem christianam universam de rebus ab se adversus Coelestium, Pelagium, Ioannem Antiochenum ceterosque eiusdem factio nis socios gestis, hac subiecta ratione: Quoniam oportebat et absentes a sancta Synode morantes in urbibus et provinciis ob aliquod impedimentum sive ecclesiasticum sive corporeum, non ignorare quae de ipsis sunt constituta <sup>4</sup>. Eamdem rationem sequitos Patres in conciliis, quae post haec habita sunt, et Pontifices quoque in publicandis suis decretis probarem, si prolatione diligenter egeret res omnibus notissima.

SCHOL. Plura exempla huius consuetudinis habentur in Codice Theodosiano. Constantius Imperator mitit legem de Romanae ecclesiae clericorum privilegiis ad Felicem Papam, ut in ecclesiis Romanae provinciae legatur ann. 360. lib. 16. tit. 2. de Episc. eccles. et

<sup>1</sup> Tom. 1. Concil. Hard. pag. 262.

<sup>2</sup> Socrates lib. 1. cap. 9.

<sup>3</sup> De Marca lib. 2. cap. 15. §. 5.

<sup>4</sup> De Marca loc. cit. §. 6.

cleric. leg. 14. *Omnis Lex lata ab Imp. Valentianino, Valente et Gratiano de vita, honestate, conversatione Ecclesiasticorum et Continentium missa ad Papam Damasum lecta fuit in ecclesie urbis Romae ann. 370.*  
*Ibid. leg. 20. Ecclesiastici Lex de foro Episcoporum 23. Qui mos ibid. missa ad Episcopos, lecta fuit in ecclesie. Quam consuetudinem servatam fuisse etiam sub Iustiniano Imperatore testatur Novella eiusdem Augusti Constitutio sexta, quae data creditur ann. 558. in qua, postquam multa de Episcoporum aliorumque clericorum ordinacionibus prudenter statuisset, ita decernit: Sanctissimi siquidem Patriarchae uniuscuiusque dioecesis haec proponant in ecclesie sub se constitutis, et manifeste faciant Deo amabilibus metropolitis, quae a nobis constituta sunt. Illi quoque rursus proponant ea in metropolitanana sanctissima ecclesia, et constituti sub se Episcopis manifesta faciant. Illorum vero singuli in propria ecclesia haec proponant, ut nullus nostrae reipublicae ignoret, quae a nobis ad honorem et ad augmentum magni Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi disposita sunt. Conf. Petri de Marca lib. 2. cap. 15. Gibert proleg. part. prior. tit. 9. Van-Espen in tract. de publicat. leg. eccles. Petrus Colletus prael. theol. tom. 2. tract. de legib. cap. 5. sect. 4.*

## §. XLIX.

*Et summis Principibus probatae.*

Sed nec praetermittenda nobis est hoc loco temere sanctissimorum veteris Ecclesiae Praesulum in edendis disciplinae canonibus consuetudo, qua illos antequam regulerant per provincias, probando Imperatoribus confirmandosque offerre solebant. Res ipsa extra omnem est

posita controversias ipso fatente Baronio<sup>1</sup>, non ex actis veterum conciliorum dumtaxat (quod de Marca ostendit pererudit, ut solet, atque copiose<sup>2</sup>), verum ex Synodis etiam octavo et nono saeculo in Hispania, Gallia, Germania celebratis. Ita Arelatensis Synodus sub Carolo M. habita: Haec igitur, ait<sup>3</sup>, sub brevitate, quae emendatione digna perspeximus quam brevissime adnotavimus, et Domino Imperatori praesentanda decrevimus: poscent eius clementiam, ut, si quid hic minus est, eius prudentia suppleatur; si quid sens, quam se ratio habet, eius iudicis emendetur; si quid rationabiliter taxatum est, eius adiutorio divina opitulante clementia proficiatur. Synodi poro Moguntinæ ex eadem aetate praefatio haec habet: Quatenus ea, quas paucis perstrinximus capitulis, a vestra auctoritate firmentur, si tamen vestra pietas ita dignum esse iudicaverit; et quidquid in eis emendatione dignum repertur, vestra magnifica imperialis dignitas inbeat emendare<sup>4</sup>. Similia hui exstant in Turonensi, Cabilonensi, Toletanis atque aliis permultis ex ea aetate conciliiis, quae adscribere nihil necesse est.

SCHOL. Atque hoc faciebat tum Patres, quando ipsi sine Regibus suis synodos celebrabant: quod quidem contingebat rarius. Plerumque enim Reges ipsi in synodis, quas regis vocat Benedictus XIV. de syn. dioce. lib. 1. cap. 1. §. 2. disciplinae constituendæ auctoritatem impendebant. De his synodis vid. de Marca lib. 6. cap. 24. seqq. Steph. Baluz. in cultissima praefatione ad capitularia Regum Francorum. Huius generis fuisse synodos sub primis Regibus nostris habitas suo loco probabuntur.

## §. L.

<sup>1</sup> Ad ann. 856. n. 4.

<sup>2</sup> Lib. 2. cap. 10. §. 7. seqq.

<sup>3</sup> Can. 26.

<sup>4</sup> Pagius crit. ad ann. 813. n. 19.

## §. L.

*Cuius probationis quae vis.*

Consuetudinis vero istius quae vis sit quaeve ratio, dum quaeritur, non una est eruditorum sententia. *Baronius agnoscit factum* (§. XLIX.), sed ut mos est viri illius, nudum et cum violentia coniunctum potius quam *aquo iure*. *Greberus in Germania sacra* laudato perperam in eam rem *Pagio*, officiorum haec esse verba censem magis quam *potestatis regiae* ac *subiectio*nis argumenta. Nempe adulatores hic Episcopos, ille facit *Imperatores* iuris alieni iniquos usurpatos. *Hennigesius* in libro, quem *de summa Imperatoris potestate circa sacra inscripsit*: *Hoc ultimum*, ait<sup>2</sup>, *et summum imperantis iudicium decretis atque canonibus tam necessarium est*, ut supra consilii nudum nomen ea ad praecepsi dignitatem et obligatoriam virtutem elevet. At huic adversatur et ipse *Protestantium* communione consultus iuris *Breuningius*, qui, quidquid in suis conventibus statuerit (*Ecclesia*) scribit, non egebit confirmatione, sed sua natura vi patiti obligabit. *Approbatione* igitur *imperantis* ad summum ea indigebunt, ut ne sit in his statutis, quo *respublica turbari* possit<sup>3</sup>. Atque ita est profecto. Vis et imperium legis ab auctoritate Ecclesiae pendet (§. XLVI.). Sed quod attinet ad canones, ait prudentissimus de *Marcia*<sup>4</sup>, qui non quidem de fide aut *Sacramentorum ritibus*, sed de *reliqua disciplina* feruntur, quia legum perpetuарum vires obtinere debent, et clericorum, immo etiam saepissime laicorum personas respiciunt, ex quibus

<sup>1</sup> Part. 3. obs. 7. §. 3.

<sup>2</sup> Cap. 8. §. 17.

<sup>3</sup> *Instit. iur. eccles. univ.* cap. 3. §. 98.

<sup>4</sup> Loc. cit. §. 9.

## CAPVT IV.

## 79

bus reipublicae corpus componitur, novamque aliquando disciplinae formam constituant, quam plurimi Principum interest, ut ea decreta mature discutiant, antequam eorum executionem publicam et forensem lege sua indulgeant, ne fortassis aut publicae utilitati aut tranquillitati aduersentur. Confirmati autem a Principe canones vim legis publicae adipiscuntur, quae necessaria est, ut per omnes imperii provincias executioni tradi possint, et si qui contradicant, auctoritate publica coercantur.

SCHOL. Colligas hinc, non nudum, quemadmodum apparidores solent, exsequendae conciliorum sententiae ministerium praestitisse Principes christianos, verum iure post sententiam Patrum auctoritatem suam adiunxisse, habita cum primis ratione disciplinae, quae imperii causam non minus quam Ecclesiae respiciebat. Atque hoc est, quod etsi obscurae ac timidius innovere visus est Muratoriis lib. 1. de *ingenior. moderat.* cap. 15. his verbis: *Illa autem pars disciplinae, quae servatur in politicis legibus, et prospicit rerum temporalium regimini ac distributioni, saepe, ut valeat, consensu in-dicti Principum, populorum, aliorumque Episcoporum. Conf. de Marca lib. 6. cap. 22.*

## §. LI.

*Dispensatio ecclesiastica.*

Hactenus de legibus in Ecclesia condendis carumque efficacia. Nunc de mutandis illis pauca subicienda sunt. Est autem legum, quibus societas christianorum regitur, duplex genus. *Vnum* carum est, *quas lex aeterna sanxit*, ut ait *S. Ivo*<sup>1</sup>, *que observatae salutem conferunt, non observatae eamdem auferunt. Alterum illarum, *quas posteriorum diligentia ratione utilitatis invenit*, non ad salutem principaliter obtainendam,*

<sup>1</sup> In pref. *Decret.*

dam, sed ad eam tutius muniendam. In priori genere legum nullae sunt Ecclesiae, praeterquam in interpretando, partes (§. XXXVIII). Quapropter merito reprehenduntur passim canonum illi interpres, qui glossam sequuntur dandae veniae potestatem summo Pontifici etiam in divino iure faciebant, si qua eam iusta causa suadere possit; quod quidem loquendi genus, nisi ad deliberationem eius iuris referatur, tamquam a ratione alienum prorsus repudiandum esse, verissime de Marca praecepit. At quea ex genere sunt altero, has ob eamdem, quea peperit, utilitas et necessitas causam mutari nihil vetat. Recte Tertullianus, regulam fidei, aiebat<sup>1</sup>, unam omnino esse, solam immobilem et irreformabilem: has autem lege fidei manente, cetera iam disciplinae et conversationis admittere novitatem correctionis, operante scilicet et proficiente usque in finem gratia Dei. Canonibus autem saepe hodie derogatur dispensatione, quea sumitur pro venia legis, quam providam juris relaxationem vocant Iurisconsulti. Eius effectus hic est, ut canone vim suam obtinente, is, cui indulgetur, a vinculo legis et obligatione pro singulari quadam casu singulari auctoritate superioris liberetur: quo ipso distat a privilegio, quo per modum legis perpetuae quis ab observando canone eximitur.

SCHOL. Quod hic dispensationem voco, varis tam Graeci Patres quam Latini nominibus efferunt, de quibus vid. Franc. Florens in *dissert. de dispensat. eccl.* tom. 1. pag. 375. seqq. et Petr. de Marca lib. 3. cap. 13.

## §. LII.

Quando locum habeat.

Dispensationum ecclesiasticarum et multa sunt et antiqua exempla, Petro de Marca et Florenti diligenter,

<sup>1</sup> De vel. Virg.

fer et eximio cum iudicio collecta illustrataque<sup>2</sup>, quae non tantum veniae dandae potestatem, verum usum etiam potestatis ac modum luculentissime commonstrant. Neque enim pro vero admitti potest, quod recentiorum quorundam intemperantia statuebat, solutum esse lege omni supremi in Ecclesia Antistitis dispensandi arbitrium<sup>3</sup>: quod vanum sordidae adulatiois commentum iam olim D. Bernardus egregie refellebat, dissipatio vocans non dispensationem indulgentiam, quea coeco atque illiberali impetu profunditur. Et in primis quidem *infracti canonis gratiam* faciebat interdum severa Patrum disciplina, veniam infringendi aut numquam aut raro dabat: *neutram*, nisi dum vel necessitas urgebat, vel provocabat utilitas, vel pax et charitas depositabat. Illam Bernardus, hanc etiam Augustinus aquam lenitatis causam probabat. Prior ita habet<sup>3</sup>: *Quid prohibes dispensare? Non, sed dissipare. Non sun tam rufus, ut ignorem postios vos dispensatores, sed in aedificationem, non in destructionem. Denique queritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. Vbi necessitas urget, excusabilis dispensatio est: ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est. Utilitas, dio, communis, non propria. Nam quum nil horum est, non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est. Augustinus vero in epist. 185. alias 50. In huiusmodi causis, inquit, ubi per graves dissensionum scissuras non huius aut illius hominis est periculum, sed populorum strages iacent, detrahendum est aliquid severitati, ut maioribus malis sanandis charitas sincera subveniat.* Nec hoc immerito quidem; nonne enim iustissimum esse liquet, ut quae pro charitate inventa fuerint, pro charitate quoque, ubi expedire videbitur, vel omitantur, vel intermittantur, vel in aliud forte commodius

L

de-

<sup>2</sup> Log. cir.<sup>3</sup> Contareni epist. ad Paulum 3.<sup>3</sup> Lib. 3. ad Eugen. cap. 4.

demutentur<sup>1</sup>. Vilitatem demum canonica dispensatio eam requirit, quae est Ecclesiae ipsius, non propriam; publicam, non privatam. Quod gravissimis verbis adfiram audivimus *D. Bernardum*, confirmat *Goffridus Windocinensis*<sup>2</sup>. His regulis *Gratiani* adhuc actate Ecclesiastica dispensatio regebat, quod ex *Decreto* eius manifestum est. Vnde intelligi potest, quam circumscriptus eius usus per mille et amplius in *Ecclesia Dni* annos fuerit. At recessum ab his est regulis, ex quo, ut ait *Fleuris*, *Pontificum potentia nulla re magis censi posse videbatur, quam si dispensationes a canonum observantia in infinitum extenderentur. Part. 1. Inst. iur. eccles. cap. 1. §. 17.*

SCHOL. Recessum est, inquam, vitio hominum, non Ecclesiae ipsius, cui imputare illud iniquum est. Conf. Barthel dissent. de eo, quod circa libert. religion. iustum est, cap. 8. §. 28. Nunc vos illud admoneo (verba sunt Augustini lib. 1. de morib. eccl. cathol. cap. 34) ut aliquando Ecclesiae catholicae male dicere desinatis, vi- tuperando mores hominum, quos et ipsa condemnat, et quos quotidie tamquam malos filios corrigeret studet.

## §. LIII.

*Idem de privilegiis et exemptionibus tenendum est.*

Quod de dispensationibus dictum est, id de privilegiis atque exemptionibus valere hoc magis debet, quo gravius disciplinae vulnus infertur duratura in perpetuum, quam temporaria et quasi momentanea eius relatazione (§. LI.). De privilegiis, inquam, atque exemptionibus illis maxime, quae Episcoporum divinitus institutam auditoriatem (§. XXI.), et hierarchicam in ecclesiis subordinationem (§. X.) aut sofficiunt tacite, aut

aper-

<sup>1</sup> *Bern. cap. 2. de praecept. et diis.*

<sup>2</sup> *De Marca lib. 3. cap. 14. §. 8.*

aperte adgrediuntur. Cuiusmodi privati iuri, melioribus temporibus non audit, quem primum in *Cluniacensibus exemplum prodidit Gregorius VII.* incredibile dictu est quam inquis novus hic conatus studiis exceptus sit: quod ex *Fulberti, Iponis, Ioannis Salisberiensis, Bernardi, Petri Blesensis*, aliorumque eius aetatis sanissimorum doctissimorumque hominum querelis testatissimum est<sup>1</sup>. Et vero docuit ipsa dies, quam perniciosa christiana civitati enormis haec facilitas existiterit, ut mirum non sit, de tollendis aut mitigandis exemptionibus actum persicepe, emendandoque abuso. Ecclesiae universae non gravi magis quam noxio<sup>2</sup>. Sed ut nunc res sunt, etsi adscitudine temperatur, nondum tamen deletum est penitus scandalum, quod ex hac graduum perturbatione natum est. Quare licet ob hanc causam tollere exemptiones necesse non sit, quia tamen canonum istae et severioris disciplinae remissiones interiorum rerum publicarum tranquillitatem non modice laedunt; non alienum a iure summorum esse Principum, si his incommode pro ea, qua possunt, auctoritate propiciant, intelliget, opinor, nullo negotio quisquis res superiori tempore gestas diligenter et vacuo a praecidiu*m* animo expendere vollet. *De Marca lib. 3. cap. 16. §. 8.*

SCHOL. An revocanda igitur privilegia omnino censesmus? De hoc quidem expendant, quibus populi christiani salus a Deo concredata est. Sed si molimina intueror, quibus privilegia exemptionesque suas tueri aggressi sunt homines partum suarum, quam canonum studiosiores: iam eo res adducta videri potest, ut ne reliquum fecerint quidem Ecclesiae remedium, quo dignitatem suam tueantur. Quum Paulus P. II. bullam *Clementis III.* qua omnes Mendicantium ordines ad ius commune revocabat, publicare meditaretur, generales ordinum corundem Praepositi *provocationis ad concilium L 2*

g-

<sup>1</sup> *Eugen. iur. eccl. part. 3. tit. 12. cap. 4.*

<sup>2</sup> *Biga diss. iur. publ. eccl. diss. 1. §. 13.*

*generale formulam adiecerunt*, ut Raynaldus narrat *ad ann. 1471. n. 69.* Et si Bzovio et Wadingo fides adhiberi potest, Innocentio mortis causa existit haec praeципue, quod privilegium ordinum religiosorum paullulum circumscribere ausus esset. Ita scilicet Deo curae sunt, ut ne monachus Episcopo suo subiiciatur. Rursus in concilio Tridentino, quum de revocandis aut mitigandis saltem exemptionibus ageretur, non placuit exemptiones a summis Pontificibus concessas ab alio quam a Romano Pontifice tolli aut minui. Pontificem autem, nisi quam ipsam dignitatem imprudenter conetur labefactare, id quidem facturum nunquam Pallavicinus nos iubet credere in hist. concil. Trid. lib. 12. cap. 13. § 8. ubi, haud inficior, inquit, unum ex emolumentis, quae regularium immunitas secum fert, in eo situm, quod auctoritatem sedis Apostolicas sustineat, secundum institutionem Christi et Ecclesiae bonum; quum in comperto sit, omne monarchiae regimen, quo se illassem tueratur, opus habere in singulis provinciis aliquo praevalido praesidio eiusmodi subditorum, qui Principi per se ac perpetuo illic dominantur nequaquam subiectantur. Nec alio patto, inquit lib. 8. cap. 17. §. 12. laudatis ordines sustentandas. Lateranensi basilicae collabensi, hoc est, Ecclesiae catholicae opportuni fuissent: vaticinium profecto, quod re comprobatum est, vel ipso Nicolao Machiavello fatente. Ita purpuratus hic historiographus, dum sua studet cause, ignarus sedi Romanae turpissimam maculam inurit. Quanto rectius Ill. Bossuet: Certo statuimus, inquit, numquam Ecclesiae catholicae, numquam sedi Apostolice suam dignitatem constituram, nisi defensis canonibus adscitisisque Episcopis, quos ipse Christus adiutores dederit. In corol. defens. declar. Cler. Gallic. §. 41. in fine.

## §. LIV.

## §. LIV.

*De iure interpretandi.*

A dispensatione porro distat *interpretatio*, quae non in lege relaxanda, sed in vero eius sensu erundo ac determinando versatur. *Authentica* est, dum ab ipso legis auctore profiscitur, aut ab alio, cui han illae potestatem contulit. *Eius facienda ius pars* est potestatis illius, quae rogandis legibus exercetur. Quapropter dubitari non potest, quin Ecclesia christiana potestatem habeat interpretandi leges, non suas modo et ad disciplinam exteriorem pertinentes, verum illas etiam, quae religionis (§. XXXVIII.) et morum dogmata complectentur (§. XXXIX.). Huc pertinet Concilii Tridentini decretum: *Nemo suae prudentiae innixus in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium sacram Scripturam ad suos sensus conquirens contra eum sensum, quem tenut et tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctorum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari audeat. Sess. 4.*

SCHOT. Conf. Natalis Alexander in *Hist. eccles. Sac. XVI. diss. 12. art. 2. §. 8. seqq.* Melchior Canus de loc. theolog. lib. 4. cap. 4. seqq. De potestate Ecclesiae, quam in divino iure tam naturali quam positivo interpretando exerceat, nemo est catholicorum, qui dubitet. Sed applicationem eius juris cum interpretatione confundunt multi tam Theologi quam Jurisconsulti, quo sit, ut Ecclesiae auctoritatem alii plus aequa depriment, alii vero praeter Servatoris voluntatem minimum proferant. In hoc vitio cubat, nisi fallor, Innocentii ratiocinum in cap. 13. de iudic. cuius historiam dedit Ian. a Costa in comment.

## §. LV.

## §. LV.

*Et abrogandi leges ecclesiasticas.*

Restriictior est eius in abrogandis legibus auctoritas. Naturalium enim vis immobilit est <sup>1</sup>. Nec quae a Deo revelatae sunt, novi testamenti leges ultra vi humana tolli possunt (§. LI.). Itaque humanae relinquuntur, et ab Ecclesia ipsa profectae leges, quas ex causa etiam abrogati interdum nihil vetat. *Quis nesciat, ait Augustinus<sup>2</sup>, ipsa concilia, quae per singulas regiones vel provincias sunt, plenariorum conciliorum auctoritatibz cedere, ipsaque plenaria saepe priora posterioribus emendari, quum aliquo experientia rerum apertur, quod clausum erat.* Verum hac tamen moderatione Ecclesia christiana Pastores suos uti semper voluit, ut conservata statutis *Patrum* reverentia tot saeculorum felici usu roborata, canonibus tam antiquandis quam condendis temperate indulgerent. Neglecta vel obruta potius veteris disciplinae memoria, et novarum legum iam ipsa sibi pridem gravis moles quantum in Ecclesiam incommodi, detrimenti in res publicas invexerit, ignorare, nisi qui volet, nemo potest.

SCHOL. Conf. Van-Espen in *dissert. de vet. canon. stabilit. et usu*. Et Auctor libelli, cui titulus: *Iura Ecclesiastica a Sacris Scripturis deducta*. Aug. Vindel. ann. 1773. 8.

## CAPVT V.

DE POTESTATE ECCLESIAE  
IUDICIA RIA.

## §. LVI.

*Quid sit potestas Ecclesiae iudicaria? seu iurisdictionis in specie?*

Pars illa sacrae potestatis, qua in cognoscendis causis Ecclesiae defendendisque exercetur, *iurisdictionis ecclesiastica* in specie vocatur, facultatemque indicat *ius dicendi in negotiis ecclesiasticae potestati subiectis*. Dicitur autem *civili*, quum in tribuendo singulis iure proprio versatur; *cōcūrītiva*, dum poenas sumit de iis, quae adversus leges ecclesiasticas temere admissa sunt. De hac proximo capite.

SCHOL. Vocabulum *iurisdictionis* ambiguum est. *Iurisdictionem* ab imperio distinguunt Romani iuri interpretes, de quo discrimine Noodt et Averanius fortasse accuratissime exposuerunt. Nostro iure *iurisdictionis* nomine interdum potestas Ecclesiae universa intelligitur: alias eam dumtaxat partem indicat, qua in iure dicundo versatur: quo sensu in cap. 16. *de offic. iudic. ord.* accipi evidens est, dum *iurisdictionis causarum omnium ad forum ecclesiasticum de iure spectantium cum censuris ecclesiasticis a ceteris Episcopatus iuribus aper te seceruntur: et in cap. 18. eod. causarum examinatio et decisio, atque emenda, seu multae ad legem iurisdictionis pertinere dicuntur, quam aetas recentior a lege dioecesana separavit.* Conf. Bohmer in *iur. eccles. Protest. tit. 31. §. II. seqq.* Casp. Barthel. *de iure reformat. antiq. tom. I. pag. 134.* Neller in *diatrib. inaugur. de iur. dioecesan. Mogunt. 1751.*

## §. LVII.

<sup>1</sup> *Lactant. div. Inst. lib. 6. cap. 8.*

<sup>2</sup> *Lib. 2. de Bapt. cap. 3.*

## §. LVII.

*Eam Ecclesiae competere probatur.*

Iuris vero dicendi facultas competitat Ecclesiae christiana, et quo iure competit, haud difficile coniectu est. Nam quum naturali quadam ratione potestati ecclesiasticae insit<sup>1</sup>, removeri illa ab Ecclesia non magis potest quam potest ipsa, ad quam referuntur (§. XXXII.). Sed nec alia eius origo quam huius censenda est (§. XXXIII.), *divina scilicet e iure clavium repetenda*, quas Ecclesiae sue impertitus est divinus fundator. Huc enim respexit Christum arbitror apud Matthaeum<sup>2</sup>, quando Ecclesiae iussit denuntiari refractorios, ut quos privatae et familiares fratrum cohortationes minime flecerent, auctoritas illius ad saniores mentem compeleret et aqui iuri observantiam. Et vero, nisi hanc demus christiana societati tributam a Domino potestatem, quo iure Paulus oratione tam acerba *Corinthios* sua in communione retinentes incestuosum hominem neglectae disciplinae reos arguebat, seque de illo, etsi absentem, iam tulisse iudicium aiebat, ut qui sic operatus esset, traduceretur satanae in interitum carnis? Idem Paulus, dum monet *Timotheum*, ne adversus Presbyterum accusationem reciperet nisi sub duabus tribusque testibus, dum hortatur *Titum*, ut quae deesse in Ecclesia sibi commissa iudicaret, pro arbitratu suo corrigeret: nonne hanc potestatem divinitus tributam Episcopis probat apertissime? (§. XXII.) Ut taceam item Antiochenos inter fideles natam, quam Apostoli ipsi cognitam synodali definitione Hierosolymis compo-suerunt (§. XLVII.).

SCHOL.

<sup>1</sup> Fixmill. Exercit. 2. n<sup>o</sup> 11, §. 44.

<sup>2</sup> Cap. XVIII. 15. 16. 17.

<sup>3</sup> I. Corintb. V. 3. 4.

SCHOL. Bohmerus quidem in *dissert. 3. ad Plin. §. 71.* nihil exemplo huic inesse momenti putat, ut iudiciorum ecclesiasticorum consuetudinem ex praxi apostolica derivare licet. Is sententiam synodi pro laudo, ut iuris consultorum verbo utar, habet, censemque Antiochenos per modum *compromissi* causam hanc controversam decisioni *Apostolorum* et matris ecclesiae submissee. Apparet vero plura hic a doctissimo viro sumpta esse, quam ut fide eius probare possimus. Primum enim Antiochenos controversiam non Apostolorum tantum, verum totius etiam ecclesiae Hierosolymitanæ iudicium subiecisse statuit, quod est aperte contrarium iis, que Lucas cap. XV. 2. memoriae prodidit. Deinde quis hoc putet ferendum, quod fateri omnino cogimur, hanc si placet interpretationem sequi, Apostolis in hac dirimenda controversia non fuisse nisi honorarios ex consensione disceptantium electos arbitrios? Erant illi divinitus creati iudices eiusmodi controversiarum de Religione: neque liberum idcirco Antiocheni erat, utrum ad eos liter suam deferre vellent, nec ne? verum ius ipsum divinum tubebat eos ad Apostolorum tribunal accedere; ut Mosheimus verissime docet de reb. christ. ante Constant.

M. sac. I. §. 56. Ipsa denique Hierosolymitanæ decreti verba, *Visum est Spiritui Santo et nobis*, satis, opinor, indicant, sententiam ab Apostolis pronuntiatam fuisse iudicis auctoritate praediti, non honorarii et pro arbitrio adsciti sententiam.

## §. LVIII.

*Etiam in usu.*

Quam hoc primum exemplo habendorum iudiciorum formam quasi consecrabant Apostoli, eam retinuit diu apostolici moris tenacissima Patrum religio. Non desunt nec ex prima quidem aetate huius generis conventuum

M.

iu-

iudiciorumque celebratorum vestigia a Tertulliano, Cypriano, Eusebio literis consignata traditaque memoriae posterorum, rariora licet et interdum suboscura. Nec enim dissimulaverim, caute admodum et temperate christianorum Praesules iure suo iis praeципue temporibus usos fuisse. Suadebat eam moderationem ipsa temporum ratio, ne in suspicione venirent usurpatae potestatis non suae, quam vitare prudentiae fuit in tanta gentilium criminandi persequendique et licentia et libidine. At vis haec silere iussa est, siveque redditia libertati Ecclesia, quam sua illico divinitus tradita iura explicare apertius maioreque cum fiducia coepit: que tantum abest ut religiosi Principes ad se revocarent, maiestatemque suam iis exercendis laedi quererentur, ut editis etiam constitutionibus Ecclesiae adiudicarint, non conferentes illi quam non habebat potestatem, sed quam divino iure habebat, et agnoscentes, et pro ea qua pollebant supraemam auctoritatem confirmantes.

**SCHOL.** Huc refero illa Constantini dicta magnifice in concilio Nicaeno, quae Ruffinus lib. 1. cap. 2. descriptis: Quum resedisset, suscepit a singulis libellis, quos simul omnes in sinu suo continens, nec in eis quid coninqueretur aperiens, ait ad Episcopos: Deus vos constituit Sacerdotes, et potestatem vobis dedit de nobis quoque iudicandi, et ideo nos a vobis recte iudicamur. Vos autem non potestis ab hominibus iudicari: propter quod Dei solius inter vos expsectate iudicium, et vestra iurgia, quacumque sunt, ad illud divinum reserventur examen. Abutuntur hoc quidem loco certe, qui cum hoc consilio proferunt, ut quam ea aetas nondum novit, Episcoporum in temporalibus causis divinitus concessam immunitatem persuadeant: sed probandae Episcoporum iurisdictioni sacre peridoneus est, praeceps quem ei adstipulentur constitutiones Imperatorum non paucae: veluti Valentiniani et Gratiani leg. 23. Cod. Theod. de Episc. Honorii et Theodosii leg. 41. Cod. Theod. de Episc.

*Epist. Arcadii et Honorii leg. 1. Cod. Theodos. de relig. Valentini, Theodosii et Arcadii leg. 3. tit. 12. ad calc. Cod. Theod. Iustiniani Novell. 83. cap. 1.*

## §. LIX.

*Et Imperatorum confessione.*

Huius iuris adeo sibi consciis fuerunt Ecclesiae christianaes Antistes, ut dum patientes doctrinae severioris Principes nati essent, nihil reverenter vel admonere, vel etiam reprehendere, si quando pravis suorum consilii huc se adduci passi sunt, ut rebus se ac negotiis religiosis contra, quam fas erat, ingererent. Desine, quaequo te, aiebat Osius Constantio Imperatori, etamento, te mortalem hominem esse: time iudicii diem, que ipsum innocuum ad eam diem custodias. Ne te rebus misceas ecclesiasticis, nec nobis his de rebus praecipe, sed a nobis potius dise. Tibi Deus imperium commisit, nobis, quae sunt Ecclesiae, concedidit (§. XLV.). Et Ambrosius in epistola ad Valentinianum Iun.<sup>1</sup> At certe si vel Scripturarum seriem divinarum, vel vetera tempora retrahemus, quis est qui abnuat in causa fidei, in causa, inquam, fidei Episcopos soler de Imperatoribus christianis, non Imperatores de Episcopis iudicari? Eris, Deo favente, etiam senectus matritate proiectior, et tunc de hoc censebis, qualis ille Episcopus sit, qui laicus ius sacerdotale substernit. Cuius iuris non ignarus Theodosius Iun. in litteris ad concilium Ephesinum<sup>2</sup>: Igitur Candidianum, inquit, praelarissimum sacerorum domesticorum Comitem ad sacram vestram synodus abre iussimus, sed ex lege et conditione, ut cum questionibus et controversiis, quae circa fidei dogmata incident, nihil quidquam commune ha-

M 2

<sup>1</sup> Epist. 21. n. 4. 5.<sup>2</sup> Tom. 1. Concil. Hard. pag. 1545.

habeat: nefas est enim, qui sanctissimorum Episcoporum catalogo adscriptus non est, illum ecclesiasticis negotiis et consultationibus sese immiscere. Similiter Valentianum Imp. quum ad synodum indicendam sollicitatus esset ab Episcopis orientis, quo fides de consubstantialitate, quam pene labefactavit Constantius, restauraretur, praeclarum hoc responsum dedit. Sozomenus testatur: *Sibi, qui unus e laicorum numero erat, non licere se eiusmodi negotiis interponere.* Et ideo Sacerdotes et Episcopi, inquit, quibus haec curae sunt, seorsim per se, ubicumque ipsis libitum fuerit, in unum conveniant. Vid. Ill. de Marca lib. 2. cap. 5. 6.

SCHOL. Bohmerus in observatione ad cap. 4. Petri de Marca lib. 2. cognitionem de causis fidei largitur, decisionem negat. Hanc Principi summo adjudicat. Quia in re nescio, an ipsi Augustanae confessioni adhaerat: ita enim illa habet art. 7: *Quam igitur de iurisdictione Episcoporum quaeritur, discerni debet imperium ab ecclesiastica iurisdictione.* Porro secundum Evangelium, seu, ut loquuntur, de iure divino, nulla iurisdictione competit Episcopis ut Episcopis, hoc est, his quibus est commissum ministerium verbi et Sacramentorum, nisi remittere peccata. Item cognoscere doctrinam, et doctrinam ab Evangelio dissentientem rescribere, et impios, quorum est nota impietas, excludere a communione Ecclesiae sine vi humana, sed verbo. His necessario et de iure divino debet eis Ecclesia praestare obedientiam, iuxta illud: *Qui vos audit, me audit.* Quod si autem necessario et de iure divino Episcopis de doctrina cognoscentibus obedientia praestari debet, amabo, quid est, quod ad vim iudicii decisivam praeterea desiderare possis?

<sup>3</sup> Lib. 6. cap. 7.

*Sed in causis tantum ecclesiasticis.*

Ex his porro testimoniis liquido constat, potestatem Ecclesiae iudicariam *propriam* illam atque, ut aiunt, *essentialiem* non in causis profanis facinoribusque contra civiles leges perpetratis, sed in fidei ac morum ecclesiasticaeque disciplinae controversiis dirimendi exerceri (§. XXXVIII.). Apertissime in hac sententiam est Arcadii et Honori AA. landata nuper constitutio: *Quoties de religione agitur, Episcopos convenit iudicare: ceteras vero causas, quae ad ordinarios cognitores, vel ad usum publici iuris pertinent, legibus oportet audiiri.* Quam repentes Valentianus III. constat, ait, *Episcopos et Presbyteros forum legibus non habere: nec de aliis causis secundum Arcadii et Honori divaliam constituta: praeter religionem posse cognoscere. Religionis vero causam laxius nonnihil interpretatur constitutio Theodosii, ita, ut causas universim ecclesiasticas Episcopali iudicio subiectas esse declarat.* Continua lege sanctorum, ait<sup>1</sup>, *nomen Episcoporum, vel eorum, qui Ecclesiae necessitatibus servioint, ne ad iudicia sive ordinariorum, sive extraordinariorum iudicium pertrahatur: habent illi iudices suos, nec quidquam his publicis communie cum legibus, quantum ad causas tamen ecclesiasticas pertinet, quas decet episcopali auctoritate decidi.* Quod omnino consentaneum est indoli principatus sacri atque exemplo Christi reprehendentis hominem, qui se rogabat, ut ad dividendam secum paternam hereditatem fratrem compelleret (§. XXXVI.). Unde S. Bernardus: *Non monstrabant, puto, inquit<sup>2</sup>, ubi ali-*

<sup>1</sup> Lib. 16. tit. 12. ad calcem Cod. Theod. leg. 3.

<sup>2</sup> Lib. 1. de cons. cap. 6.

aliquando quispiam Apostolorum iudex sederit hominum, aut divisor terminorum, aut distributor terrarum. Stetisse denique lego Apostolos iudicandos, sedisse iudicantes non lego :: Ergo in criminibus, non in possessibus potestas vestra : quantum propter illa, et non propter has accepistis claves regni coelorum : praevaricatores utique exclusuri, non possessores :: Habent haec infima et terrena iudices suos, Reges et Principes terrae. Quid fines alienos invaditis?

SCHOL. Multa Baronius in annal. ad ann. 57. n. 24. seqq. de iudicaria Ecclesie potestate disputabat, et ut appareat, Paulum in *I. Corinth. cap. VI. 4.* ita capiendum statuebat, ut videatur omnino prohibuisse christianis ius suum coram ethnico Magistratu prosequi : iussisse autem causas omnes, tametsi maxime civiles, ad Episcopum deferri, eiusque adquiescere sententiae. Quam doctissimorum annualium ecclesiasticorum scriptoris interpretationem egregiam vocat vir clar. Placid. Fixmillner *Exercit. 2. sect. 4. §. 44. not.* censemque a mente. Pauli quam longissime aberrasse Espenium, Basnagium, Bohmerum, qui cum textum intelligendum volebant de arbitrio, seu iudicibus litigantium communis compromisso electis, atque adeo publica nequaquam auctoritate praeditis. Atqui haec tamen communis est catholicorum, paucis demis, loci istius interpretatio, quam nihil video, cur deserendam putemus. Audi enim D. Thomam in eum Apostoli locum : *Sed videtur, inquit, esse contra id, quod dicitur I. Petri II.* Subdit estote omni humanae creaturae propter Deum, sive Regi tamquam praecellentis, sive Ducibus tamquam ab eo missis. *Pertinet enim ad auctoritatem Principis iudicare de subditis.* Est ergo contra ius divinum prohibere, quod eius iudicio non stetur, si sit infidelis. Sed dicendum, quod Apostolus non prohibet, quin fideles sub infidelibus Principibus constituti in eorum iudicio compareant, si vocentur; hoc enim esset contra subjectionem, quae de-

be-

betur Principibus: sed prohibet, quod fideles non eligant voluntarie infidelium iudicium.

## §. LXI.

## Audientia Episcoporum.

Non repugnabo, si quis mature in Ecclesia invallisce consuetudinem contendat, qua christiani pacis quam iurigorum amantiores oborta inter se dissidia Episcoporum arbitris componenda committere sunt soliti. *Sidonius Apollinaris* persaepe consuetudinis istius meminit <sup>1</sup>, et *Synesius* partem Episcopalis sui munieris non postremam id ipsum esse dicit <sup>2</sup>. *Ambrosius* porro et *Augustinus*, quanta adsiduitate audiendi fidelium controversias componendisque vacaverint, ipsi de se testes sunt <sup>3</sup>. Occasionem pio mori praebuit prior *Pauli* ad Corinthios epistola, in qua *Augustinus* auctore et christianis omnibus praecepit, ut dissidiis, si qua nascentur, dirimentis et suis potius arbitrios eligerent, quam non sine quadam christiani nominis proditione fora gentilium fatigant. Quod tandem officium ad Episcopos devolutum consuetudine, *Constantinus* edita lege confirmavit, permittens litigantibus, ut *Sozomenus* narrat <sup>4</sup>, ut ad Episcoporum iudicium provocarent, si magistratus civiles reticere vellent; eorum autem sententia ratata esset, aliorumque iudicium sententis praevaleret, perinde as si ab ipso Imperatore data fuisse: utque res ab Episcopis iudicatas Reipublica provinciarum eorumque officiales executione mandarent.

SCHOL. Exstat ad calcem Codicis Theodosiani lex, quam

<sup>1</sup> Lib. 3. epist. 11. lib. 6. epist. 2. 4.

<sup>2</sup> In epist. 105.

<sup>3</sup> Ambro. epist. 24. August. epist. 213. alias 110.

<sup>4</sup> De op. M. nac. cap. 29.

<sup>5</sup> Lib. 1. cap. 9.

quam nonnulli pro hac ipsa lege habent, cuius Sozomenus et Eusebius quoque de vita Constantini lib. 4. cap. 27. meminerunt. Eam Seldenus genuinam creditid de uxor. hebr. lib. 3. cap. 28. quae si sententia vera est, amplissima iam tum potestas Episcorum in iudicandis causis fuerit, necesse est. Cautum enim in illa est, uti, si quicumque item habens sive possessore sive positor erit, inter initia litis, vel decursis temporum curriculis, sive quum negotio peroratur, iudicium elegerit sacrosanctae sedis Antistitis, illico sine aliqua dubitatione, etiam si alia pars refragatur, ad Episcopum cum sermone litigantium dirigatur. Ea etiam probata est in Capitular. Reg. Franc. lib. 6. cap. 366. Referunt porro ab Ivone part. 16. decret. cap. 312. Gratianus caus. II. quast. I. can. 35. et 36. et tandem ab Innocentio III. velut a Theodosio edita, et a Carolo M. recepta in cap. 13. de iud. Sed validiora sunt Gothofredi argumenta, quam ut eam a Constantino perlata fuisse credi possit. Bingham orig. eccles. lib. 5. cap. 2. §. 3. Espen part. 3. iur. eccles. tit. I. cap. 2.

## §. LXII.

## Confirmata legibus.

Confirmarunt autem etiam ceteri deinde Imperatores; verum ita, ut appareat, nullam ad Episcopum civilem causam delatam fuisse, nisi quum litigantes sponte eum tamquam arbitrum elegissent. Declaravit hoc disertis verbis Honorius <sup>1</sup>: Si qui ex consensu apud sacrae legis Antistitem litigare voluerint, non vetabuntur; sed experientur illius in civili dumtaxat negotio more arbitri sponte residentis iudicium. Et iterum <sup>2</sup>: Episcopale iudicium ratum sit omnibus, qui se audiri a Sa-

cept-

<sup>1</sup> Leg. 7. Cod. de Episc. aud.

<sup>2</sup> Leg. 8. cod.

terdotibus elegerint, eamque illorum indicationi adhibendam esse reverentiam decernit, quam vestris deferri necesse est potestatis, a quibus non licet provocare. Per iudicium quoque officia, ne sit cassa episcopalis cognitio, definitio executio tribuatur. Nemo igitur ne quidem contra clericos coram Episcopo experiri cogebatur. In quorum causis, quum circa medium quinti saeculi iurisdictionem suam plus aequo Episcopi extendere niterentur, Valentinianus III. i. edita lege edidit: Episcopos potestatem non habere indicandi ne quidem clericos, nisi ex consensu corundem per modum arbitrii; neque enim dubium esse, quin nullum Episcopi forum habeant legibus constitutum <sup>3</sup>. Primus omnium Justinianus fuit, qui fori quoddam privilegium Ecclesiae ministris indulxit, quod arctis satis in principio limitibus circumscripsum eas precedente tempore vires accepit, ut aegre dignitatem suam potestatemque ipsi adeo supremi Principes tuerentur, praeципue ex quo invaluit veteribus toties improbata opinio, qui a saeculari transeunt ad statum clericorum, eo ipso a saeculari potestate eximi. Quam divini iuris regulam Paulus ignoraverit necesse est, quando in epistola ad Romanos omnem animam potestatis sublimioribus subditam esse scribebat. Chrysostomus quoque ostendit, inquisiens, quod ista imperentur omnibus et Sacerdotibus et monachis, non solum saecularibus. Id quod statim in ipso initio declarat, quum dicit Omnis anima: etiamsi Apostolus, etiamsi Evangelista, sive Prophetæ, sive quisquis tandem fuerit. Neque enim pietatem subvertit ista subiectio. Homil. 23. in epist. ad Rom.

SCHOL. Conf. Fleurius diss. 7. ad Hist. eccles. Espen loc. cit. cap. 3. seqq. Sunt, qui olim clericis omnino interdictum fuisse existimant adire iudices saeculares, idque canonibus saepissime cautum esse. Nec ego dif-

N

teor,

<sup>1</sup> Novell. tit. 12. tom. 6. part. 2. Cod. Theod.

<sup>2</sup> Fleurius diss. 7. ad Hist. eccles. §. 4.

teor, Ecclesiam magis in ministris suis quam in ceteris fidelibus exegisse illam in litigando modestiam, quam Corinthiis tantopere commendabat Apostolus (*Eugen loc. cit.*) tulisse tamen, modo id Episcopo consentiente fieret, certum est. Concilii Andegavensis Patres *can. 1.* ita habent: *Clericus non licet inconsulitus Sacerdotibus suis*, id est, *Episcopi, saecularia iudicia expetere*. Licebat igitur illis consultis: quod etiam ex concili Agathensis *can. 32.* liquet: *Clericus ne quemquam prae sumat apud saecularem iudicem, Episcopo non permittente, pulsare*. De *adore enim clericu legendus est canon*, non de *revo*, ut *Gratianus can. 11. quæst. 1. can. 17.* Addit canon: *Sed si (clericus) pulsatus fuerit (apud iudicem saecularem), respondeat, non prononiat*. Quam Sirmonius lectionem genuinam esse probat *ex can. 11. concilii Epaonensis*, qui sic habet: *Sed si pulsati fuerint cleric, segni ad saeculare iudicium non morentur*. Ex his discas, clericu quidem actori non licuisse sine adsensu Episcopi laicum in ius vocare ad saecularem iudicem, licuisse autem laico actori clericum etiam non obtenta venia. Quorum canonom ea videtur ratio fuisse, quod clericus liberae sua voluntati relictus est, utrum iudicio veliri contendere, quam libertatem non habet, dum ipse convenitur. Sed non multo post etiam laicis interdictum est reum agere clericum in foro saeculari, absque consensu Pontificis: ut ex *Concilii Aurelianensis III. can. 32.* et *Aurelianensis IV. can. 20.* constat. Conf. Franc. de Roye *insti. iur. can. lib. 3. tit. 4. §. 4. seqq.* Ian. a Costa *lib. 2. tit. 1. pag. 279.*

## §. LXIII.

*Tandem in propriam iurisdictionem abiit.*

Sed et civilis in laicos iurisdictione multum subinde statutos a *Patribus* limites praetergressa est. Postea quam

quam enim aucta primum per episcopalem audientiam (§. LXI.), *imperantium* deinde beneficio in veram ac propriam iurisdictionem abisset (§. LXII.), usi demum et diuturna observantia Ecclesiae *plena immunitate* adquisitam, non defuerunt iuris quidem colores, quibus inducti ecclesiastici iudices potestatem indies magis diminutum ibant. Nam ut de clericis nihil dicam, quorum a foro seculari exemptionem (qua modeste Patres utebantur et ad modum publicis legibus constitutum) immoderate proferebant<sup>1</sup>; ceterarum etiam, que laicos concernunt, causarum nullum plane genus est, cuius non potiore partem sue cognitioni vindicabant. Cui abusus diversas, speciosas interdum, prætexebant rationes, peccati, quae denuntiationem evangelicam peperit<sup>2</sup>, iuris iurandi religionem firmandis rebus gestis adiecam<sup>3</sup>, qualitatem personarum miserabilium<sup>4</sup>, *Iustitiam* in foro saeculari vel protractam vel denegatam<sup>5</sup>, nexum ecclesiasticae cause cum profana, aliaque his non absimilia, quibus effectum est, ut fori regnum omne diu penes Ecclesiam esset. Sed, ut fit, abusus querelis locum præbuit, causamque non iniquam investigandis stabiliendisque remediis, quibus constituto fori utriusque aequo limite, et tranquillitate publicae et dignitati civili magistraturum utcumque consultum est.

SCHOL. De Germaniae institutis vid. *Capitul. Caes. noviss. art. 14. §. 4. 5.* Faber *Staats-Canzley tom. 4. pag. 656. 696.* de Gallia et Belgio. *Eugen loc. cit.*

<sup>1</sup> *Fleurius dist. 4. in Hist. Ecclesi. S. 7.*

<sup>2</sup> *Cap. 13. de iud.*

<sup>3</sup> *Cap. 3. de foro comp. in 6.*

<sup>4</sup> *Cap. 15. de foro comp.*

<sup>5</sup> *Cap. 6. 10. 11. ed.*

## §. LXIV.

*Quae sit iurisdictio Ecclesiae interna.*

Praeter externam Ecclesiae iurisdictionem, de qua actum est haec tenus, alia est quam *internam* vocant, et in potestate remittendi retinendique peccata sita est, iuxta illud *Servatoris*: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remisitatis peccata, remittuntur eis; et quorum retineritis, retenta sunt.* Sed de hac Theologi.

SCHOL. Conf. vir. clar. Plac. Fixmillner *exercit.* 2. sect. 4. §. 51. pag. 132. seqq.

## CAPVT VI.

DE POTESTATE ECCLESIAE  
COERCITIVA.

## §. LXV.

*Potestas coercitiva Ecclesiae competit.*

Iurisdictionis sacrae pars altera, quae in coercendis delictis salutem Ecclesiae laudentibus (§. VI.), corrigendisque pravorum moribus, aut in facinorosis penitus christianorum societate cibicendi sita est, *potestatis coercitive* nomen habet (§. LVI.). Constat vero duplci iure, poenas scilicet *decernendi*, et *exequendi* decretas remittendive. Illud *ius puniendi*, hoc *iurisdictiōnēm Ecclesiae criminalēm* vocant. Potestatem hanc in Ecclesia christiana non postremis demum sacerulis, verum prima quoque et puriore, ut aiunt, aetate receptam fuisse,

x *Ioann. XX. 22. 23.*

## CAPVT VI.

101

atque interdum exercitam, nemini haec tenus, opinor, dubium fuit: adeo enim perspicua huius rei exempla historia sacra prodidit memoriae, ut in controversiam adduci nullo modo possit. Sed causa iuris quae sit, cui exercitium illius competit, quoque in genere poenarum versetur, haec sunt, de quibus varie acriterque disceptatum est.

SCHOL. Exercitae potestatis varia eaque illustria exempla veterum temporum memoria suppeditat. Colligit complura ex Irenaco, Tertulliano, Cypriano, Euseblio, Theodoreto ipse Pfaffius *orig. iur. can. pag. m. 122. seq.* quibus ad permulta possunt alia, si opus esset. Ceterum non hoc mihi nunc propositum est, ut universam Ecclesiae disciplinam explicem, quam pro temporum diversitate aliam atque aliam in hoc capite obtinuisse satis constat omnibus. Quid moneo, ne sic argutius quisquam, qui in vito ponat, si nihil hoc loco repererit eorum, quae de *poenae ac censurae* discrimine, huiusque variis speciebus acute magis quam vere scholastici disputant. Sciant qui vetera norunt, nova haec esse junioris aetatis inventa, enutrita in scholis, ex quibus in forum demum prolata sunt non sine insigni disciplina mutatione. Olim criminis etiam ad synodum delata non plectebantur, nisi in ordine ad sacramentalem absolutionem. Nullum ea aetate *fori externi* atque *interni* discrimen, neque aliis illi, huic aliis praeficiebatur index, qui delictis inquirendis coercendisque auctoritatē impenderet, quod Morinus de *administ. poenitent.* lib. 1. cap. 9. et 10. probavit. Inventi huius discriminis laus est propria sacculo duodecimo. Quo recepto semel probatoque, planum fuit eo delabi, ut quae maiores ad *correctionem* maxime *poenitentiamque iniungabant* graviorum etiam facinorum reis, hi per modum *poenae ad publicam vindictam*, pronuntiataque ex formula iudiciorum sententia, infigerent executione dare: quo ipso praecipua sincereae disciplinae ratio mihi.